

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Cardano, Gerolamo. Hieronymi  
Cardani medici mediolanensis liber de  
immortalitate animorum**

*Lugduni : apud Seb. Gryphium, 1545.  
Cote : 42261*



**(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)**  
Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/hist/med/medica/cote?42261>

BLUH

42261

# HIERONY

MI CARDANI

MEDICI MEDIO-

LANENSIS

LIBER

DE

IMMORTALITATE

ANIMORVM.



*Benxerius*

VIRTUTE DVCE,




ANALBOE SINOC  
COMITE FORTVNA.



LVGDVNI APVD SER.

GRYPHIVM,

1545.





## HIERONYMVS

CARDANVS MEDICVS

IACOBO PHILIPPO SAC-  
CO GALLIAE CISAL-  
PINAЕ PRAE-  
SIDI

S. P. D.



VEM AD MODVM nullo alio argumento ueteres philosophi Deum esse cognouerūt, nisi eo ipso, quod caelum splendidissimum, atq; pulcherrimum intuerentur: Sic nunquam rationibus naturalibus intellectus nostri immortalitatem ostēdere me posse confisus sum, nisi cum mentem aliquam penē diuinā, caelestisq; originis intuerer. Ergo iandiu huc, illacq; oculos intendens, tu mihi inter alios unus, atq; praecipuus uisus es, qui tot uirtutibus ornatus, tam singulari prudentia, tanta publicorum negotiorum peritia, tam praecleara eruditione, mansuetudine, fide, religioneq; exemplum diuinitatis animi nostri exhibere posses. Nam uelut antiquo tempore artifices absolutam aliquod inchoandi operis exemplar querebant, ut olympij Iouis Phidiae, uel eiusdem Mineruae Athenis, aut si pingendum esset, Apellis Venus uel Diana inter sacrificantes uirgines proponebatur: Sic nobis ad operis argumentum humanae mentis insigne aliquod exemplum inuenire oportuit. Itaq; tuam cum uitam, mores, etatem, animiq; excellentiam inspicio, unus mihi in omnibus quae ad mentis demonstrandam immortalitatem necessaria sunt, satisfacere posse uideris.

4 2 Præt



Præmittam etenim quãtis in periculis Francisco Sfortiæ Duci præsens affueris, quòd fide ille tua adiutus primò, atq; seruatus, consilioq; demum etiam regno restitutus, quòd Antonius Læua, uir acerrimus, Marinus Caraciolus cardinalis probitate, & pietate singulari, Alphonsus Aualus Princeps optimus, ac splendidissimus huius prouinciæ omnes proconsules tam dispari inter se, & si probatissimo quisq; ingenio firma continuatione amicissimum habuerint, ac in gerendis rebus cõsilio tuo semper usi fuerint. Illud sanè his omnibus maius esse existimo, quòd Cæsar ipse regnum hereditarium adeptus adeò facta tua, tuam integritatem probauerit, fidemq; sit admiratus, ut te, senatumq; tuum, cuius iã princeps eras, nè uno quidè ex ordine illo amoto, integra cum auctoritate seruauerit. Quod sanè argumentum esse debet & summæ omnium illorum innocentie, & ingentis tuæ sapientie. Possum nè ego non admirari eum, qui cum Fracisco Sfortia ob fidem aliquando in arce Iouis annuam obsidionem aduersus Cæsarem susinuerit, per ipsum Cæsarè deinde redacta in eius potestatem prouincia ob singularem iustitiam, ac pietatem cõseruatus, & in summo honore confirmatus sit? At neq; id immeritò: cum simul diuini propè animi sui profundū consilium, religiosissimamq; mentem Cæsar nobis omnibus patefecerit. Intellexerat enim ille, optimos uiros, ac prudētissimos, afflictis populis quanto essent futuri solatio, ut iustitia animos retinere, mansuetudine lenire mala, sapientia periclitantibus occurrere possent. Quamobrem nō solum id tibi gloriosum, sed prouinciæ etiam salutare fuit, Cæsariq; argumentum optimi illius, non tantum cõsiliij, quo cuncta moderatur, sed grati etiam animi, cūm officia erga illum tua ac studia, dum  
quasi

quasi sub interregno ob Sfortiæ mortem essemus, agnoscere uisus sit. Deerat tamen unum ad propositum nostrum confirmandum, quod immortalitatis hostes, quasi Herculeum argumentum nobis opponunt: id scilicet, Quod mens nostra senio confici, atque ægrescere uidetur. id tu unus inter multos tam egregie protriuisisti, ut uere in te Plutarchi sapiens illud dictum conueniat, Καὶ μάλιστα οὐδέ τι πόνος, ἔνθα βούλει γρηγορῶν ἀπιστεύουσι. Propterea nec malè ab Homero de sene dictum est, πρῶτα τε πονῶντι ἄσως. Neque id mirum, cum naturæ, et exercitationi, ætas accesserit. Nam senilis sapientiæ testimonium locuples est Decretum sapientissimi olim populi Atheniensis, quo cauebatur, ut qui quinquagesimum annum excessissent, soli per præconem in consilium uocarentur. Itaque quod ab exemplo inclytæ uirtutis tuæ sum consequutus, scilicet ut animi nostri immortalitatem naturalibus rationibus probare me posse intelligam: si tibi hoc operis non dedicaretur, nonne merito, et si exiguo te præmio fraudarem, ingratus uiderer? Neque uerò te adulandi studio teneri me persuadeas, ut unius hominis admiratione commotus tantam rem ostendere aggrediar. Verùm cum primum animi tui magnitudinem animaduerti, ad alios conuersus, quicquid in illis sapientiæ, sanctitatis, ac diuinitatis inerat, diligenter indagare, demum etiam obseruare cœpi: atque ea de causa et initium, et argumentum operis huius tu mihi unus præstas, quod inter multos dux, et antesignanus propositus, animum meum ad tantam capeffendam prouinciam erexeris. Ergò cum nondum libros de Sapientiâ, quos Francisco Sfondrato Sarnensi Episcopo, uiro prudentia, et integritate singulari, dedicauerâ, absoluissem: libellum hunc conscribere adortus sum, in quo, ne (quod

ego semper euitaui) Græcam inquam loquacitatem, aut  
 inania nugamēta requiras uelim, sed sensus, ac rationum  
 uim, interpretationisq; subtilitatem. Quæ & si non sumus  
 affecuti in tanta scribendi, profitendi, medendiq; assidui-  
 tate, ac negotiorum multitudine, quid mirum? cum neq;  
 per tempora liceat. Ea igitur de causa non te, qui omnia  
 pro solita mansuetudine accipis, sed acres istos censores  
 oratos uolo, ut siquid erroris sese inuenisse putent, tot re-  
 bus impedito aut parcere uelint, aut ipsi meliora profer-  
 re. Verum si quispiam forsā de operis proposito nos in-  
 terroget. Respondemus: Cum uniuersæ sapiētiæ præcepta  
 ab antiquis tradita his tribus contineantur, τῶνδ' ὁρῶ-  
 ντων, τὸν ἀδούτῳ, καὶ σοφῶν. horum difficillimum erat, seipsum  
 agnoscere, ut Thales inquit: reliqua duo in libris de Sa-  
 pientia docueramus: hoc igitur unum restabat demōstran-  
 dum. At quonam pacto nos, inquam, agnoscemus uel me-  
 lius, quàm si propriā animi nostri substantiā, origi-  
 nemq; cognouerimus, quàm diuina & nobilis  
 sit, unde profecta, & quò migratura? Hæc  
 igitur omnia docere uolens ex natu-  
 ralium philosophorum princi-  
 pijs, ne diutius occupatio-  
 nes tuas morer, Iaco-  
 be Philippe Sac-  
 ce, optime,  
 ac sa-  
 pientissimè hinc  
 exordior.

HIER

HIERONYMI  
 CARDANI MEDICI  
 MEDIOLANEN-  
 SIS  
 DE ANIMI IMMORTA-  
 LITATE LIBER,

*Ad sapientissimum uirum Iacobum Philippum  
 Saccum, Gallie Cisalpinae Præsi-  
 dem optimum.*



AEPE, ac diu dubi-  
 tatū est, An animus  
 hic noster immorta-  
 lis, atq; incorruptibi-  
 lis sit, uelut diuinum  
 aliquod numen: an  
 potius, ut reliquorū  
 omniū animātium,  
 morti obnoxius cū  
 ipso corpore simul  
 intereat. Atq; si su-  
 perfit, & illud etiā dubium est, an omnibus homi-  
 nibus unus atq; idem existat, uelut uno sole cūcta  
 collucet: an potius distributus pro uniuscuiusq;  
 mortalis corpore, ut totidem animi sint, quot etiā  
 homines? Deinde, si unus sit, an substantia ipsa etiā  
 una sit, qua animi constant: an uerò animorum di-  
 uersa sit ratio, principium uerò unum? Cū uerò  
 principium unum sit, atq; immortale, quod in no-

a 4 bis



bis etiam est, an & ipsum perpetuum simul, an uerò quod separari potest æternum? Ideoq; non semper contingit intelligere principio extrinsecus existente, quod uerò in nobis corrumpitur, nec manet, quoniam natura sua, & si sit sempiterna, non tamen secus ac lumen solis in aëre diffluit subiecti uarietate, quamuis causa ipsa immobilis, ac diuturna existat. Quod & si hoc in nobis sit immortale, utrum ne unum tantum, an plura sint, quæ mortis expertia dici debeant. Neq; enim ulla quæstio aut difficilior est, aut magis in hominum opinione, uel utilior, aut maiore contentione tractata. Habēt singuli uerisimilia suarum sectarum argumenta. Verum quæ animum mortalem astruit, ut simplicissima existens, omnibus cæteris è directo opponitur. Quamobrem nil mirum, si hæc una plures reliquis rationes possideat. Quid enim, illi dicunt, opus est tot rationibus ad intellectus naturam dignoscendam? cum illum, ut reliqua omnia, ex infantia augeri, & in senectute adeo, ut ad nihilum redigatur, minui uideamus. Tum uerò, cum omnium celestium corporum anima tantum sit una, paruusq; tam immensæ molis immortalium numerus, hæc ipsa inferiora innumerabili deorum copia abundabunt, diuinum censerī debet quod immortale est, & semper intelligit: erit enim immortalis etiam illorum una uoluptas. Atq; si super sit quorsum hoc: an ut ociosa substantia sine opere, aut aliud opus denuò habebit, nec sensibus prorsus utetur, aut uita, aut forsan (ut Stoici dicebāt) uiuet quidem, sed donec mundus ad conflagrationem futur

futuram, quam ipsi credunt, peruenerit: tunc uero  
 una & illa cum orbis mole destruetur. Sed quid  
 uos potissimum mortales ad hanc tantam, ac incre-  
 dibilem accendit spem? cum uideatis tot homines  
 belluarum uestigia imitari, tam paucos uirtutem,  
 atque eruditionem colere. At ex his paucissimi ad in-  
 signem peruenerunt tamen doctrinam, quorum etiam  
 uitae minima pars huic contemplationi adhaeretur:  
 reliquum totum somno, crapulae, aliisque necessarijs  
 rebus, quas cum animalibus reliquis communes  
 habemus, impendi solet: atque si uel eruditissimi uiri  
 scientiam uniuersam diligenter aestimaueris, quam-  
 uis uel totam uitam in studijs exigat, nihil tamen  
 ibi immortalitate dignum inuenies, sed pauca con-  
 fusa, obscura, incerta, ex infinita rerum, ac clarissima  
 ferie, ut doctus certe ab indocto parum differat, imo  
 nec a bellua, & sit quaecumque hoc interuallum,  
 nunquam infinitum illud esse fateberis: quod tamen  
 necessarium est eum confiteri, qui animum uelit  
 nostrum esse immortalem. Adde uero quam uio-  
 lenter, quanta difficultate, ut prorsus obnitente na-  
 tura, quanto uitae dispendio, ad eam exiguam do-  
 ctrinae portiunculam trahimur, ut iam cum mori  
 incipit homo, vix scire quicquam se putet: & tamen  
 illud infinitorum hominum arte, & studio per mul-  
 ta secula, maximisque laboribus conquisitum est. Inde  
 si hominum animi supersunt, mirum admodum  
 illorum nullum ad nos unquam tanto tempore  
 peruenisse. Nam quae de his narrantur, non obscure  
 ad fabulas referri debent. Neque enim tam auda-  
 cter Aristoteles, cum animo quandam immorta-  
 litatis

litatis speciem tribuisset, illum tamen à morte me-  
 minisse eorum, quæ in uita hac egerit, negasset: sed  
 uel in dubia re saltem, ut facere solet, & quæ nega-  
 6 tiva constat, silentio rem trāsigere poterat. Sed sine  
 iam immortales, cur tantum non solum totus ho-  
 mo in cruciatibus affligitur, sed diuina constans  
 natura ad malum fertur? Nam & si exiguum sit,  
 quod diuinum est, toti tamen moli præest, illudq;  
 corpus elemētare gubernat. Cumq; quælibet ani-  
 ma in diuersum trahere possit, nam & arborum  
 crescere facit in sublime quod graue est, & bellua-  
 rū volare, ac saltare, quod suapte natura deorsum  
 fertur: quātò uerisimilius, si noster hic diuinus est,  
 illum nos, etiam obnitente mole sensuum, ad diui-  
 7 na tamē machinam suam trahere debere? Deinde,  
 cur adeò gloriæ, cur famę cupidi, quę umbra quæ  
 dam est, ac fatis tenuis uitæ nostræ, si adeò solida  
 8 uita à morte superstes est? Cur uerò Achillem, Ho-  
 merumq; celebramus, ac Ciceronem, tanquam ui-  
 ros rarissimos, si animo immortalis existēte omnes  
 longe maiores futuri sunt, imò ne illi pro grega-  
 9 rijs digni habebuntur. Vel, cur mortē non minus  
 feris, imò magis formidamus, si in aliā clariorem  
 10 uitam est transeūdum? Deniq; si hic intellectus di-  
 uinus est, quid illum prorsus detinet, ne semper in-  
 11 telligat? Cumq; tot sint illius opiniones de immor-  
 talitate diuersæ, cum una tantum sit ueritas, non  
 aliunde prouenit, nisi quod nulla illarum uera sit,  
 atq; ideo illud accidat, quod feræ retibus circums-  
 12 ribus in locis tāquam fugitura immoratur? Quòd  
 si im



fi immortalis omnino sic existimandus animus, hoc nulla magis ratione credendum esset, quàm ut bonorum, ac malorū ratio habeatur. At quàm dignum sit ob brevis temporis labem perpetuò quenquam torqueri, nec tyrannorum leges iubēt: sed nemo adeò excors ex philosophis habitus est, qui tam stolidam opinionem inuehere ausus sit, cum expertem omnis affectus, nedum cruciatus, substantiam illam purissimam esse deceat: nisi solus Plato, qui tamen cum aliò tenderet, ob hoc solum nihilominus malè audiuit, unde in illum Carmina hæc Græca iactantur,

Ἄμ μνήμης ἀνθρώπου λάβης ὁ πατήρ σε τί ποίωμ  
 Ἐσπερην, παύσει τῆς μεγαλοφροσύνης  
 Ἄλλ' ὁ Πλάτων σοι τύφον ὄνειρώσωμ ἐνίφουσεμ  
 Ἀθάνατόμ σε λέγωμ, καὶ φυτὸμ οὐράνιομ.  
 Ἐκ πηλῶ γεγonas, τί φρονεῖς μέγα, ἦρ' μὲν ὄτως  
 εἶπ' ἄμ τις κοσμῶν πλάσσει σεμνοτέρω.  
 εἰ δὲ λόγῳ ζητῆς τ' ἀληθινὸμ, ἐξ ἀκολασε  
 Λαγνείας γεγonas, καὶ μιαιῶς θανίδος.

Quæ sic nos reddimus,  
 Si memor humane es fœdæq; propaginis, olim  
 Quodq; pater gutta te genuit misera:  
 Hunc pones fastum, quo te Plato adornat inanem,  
 Acternum dicens semen, et æthereum.  
 Somnia sunt hominis, nugæq; meræ, omnia cœno  
 In nobis constant, interitura brevi.

Porro quid illum attinet accusare: qui cum uideret nihil in homine præter reliqua animantia fore præcipuum, totam belluarū cateruam, modò perfecti

perfecti essent generis, animam dixit habere immortalem: & bos ille, qui sub clava cōcidit, & gallina, quæ nobis singulis diebus oua parit, Deus quidam est. Quid rogo, nūm omnino hæc puerilia non sunt? aut ego hac in re quicquam mentior?

- 14 Sed subterfugias, Hominis solus animus est immortalis. Quo argumento? Quod ratione utitur. Nempe aliud nec fingere contingit. At Ratio ipsa differētia est hominis, qua ab alijs disiungitur animantibus: neq; enim aliud habet, quo ab illis distinguatur. Sed uide, quidnam sit hæc, imò quàm parua res: nam nihil aliud est ratio, quàm uis quædam resiliendi ex vna imaginatione in aliam, tum ex cogitatione in cogitationem: uerùm multiplicata non secus, quàm ex simplici nodo retia constituntur: omnia hæc cōsurgunt admirabilia, ars, consilium, scientia, prudentia, sapientiaq;. Argumento est, quod in uiris, quibus non facilè illa reperitur, quos ingenio tardos dicimus, nihil horum fermè uidetur. Verùm ad omnia, quia omnia ex tenui illo principio ortum habent, transcēdit, igitur uelocitate magnà semper idem repetēs ac uelut (ut dixi) retia noctens, exigua illa uis sæpenumero repetita, aliquid admiratione dignum emergit, his prefertim, qui huius rei non intelligunt originem.
- 15 Enimuerò uis uidere in nobis nihil profus adesse, præter sensum: cum dormiturus quasi es, remitte omnem cogitationem, ac denuò cum excitaris, intelliges te animo omni caruisse, an putas, si tam leuiter ille diffluit, in tãta perturbatione, qualis morte accidit, eum manere posse? Sed maneat, nūquid
- 16 mundo

mundo existente eterno, numerus ille infinitus adhuc superest: omniaque animis plena erunt: nec tamen sufficit: quoniam infinito capiendo nulla certe capacitas sufficit. Verum hoc tolerabile: illud plane absurdissimum, quod cum infinitus sit hic numerus, attamen in dies singulos semper augeatur. At uero ne istud etiam stultum est, nos tandiu uixisse, nec quęquam huius uitę recordari, solumque hoc animal sapientissimū (ut ferunt) seipsum ignorare. Nam si & hoc credamus, quod animus ipse sit immortalis, tamen qualiter hoc contingat, nemini hucusque compertum est: quin potius uoluntate quadam inepta, qua etiam regna, & imperia solemus oprare, quā ulla ratione ad tantam, ac adeo inaccessam rem spe ferimur. Quod si ita est, quā iniqua est hæc partitio: cum tot homines in insulis nouiter repertis hoc nesciant, nesciuerintque: tum uero antiquo tempore gentes ferē omnes hoc ignorabant. Tantum igitur præmium etiam sorte ipsa distribuitur: atque etiam, ut apud Homerum, fors quędam dijs imperabit, ut cum Vulcanus dicit,

—τό τ' αμ πάθον ἄλγεα θυμῶν

Ἐμὴ μ' ἐυρυνόμην τε θεῶν θ' ὑπερδέξατο κόλπω.

Sic ne sinemus nobis illudi, ac quasi præstigijs mentem inuolui?

At tamen scimus, an hoc ipsum est quod æternum putas, quodque tam labile est, atque in memoria repositum est: unde Plato Memoriam in Theæteto, Musarum matrem appellauit, & Cicero diuinū quoddam esse illam existimat, cum sit sapientię uniuersę thesaurus. Quo fit, ut qui ea carent, & si uel o

uelocissimè nectant, nunquam tamen egregium quicquam conficere poterunt, corruentibus tam cito nexibus alijs, quàm celeriter fiunt. Igitur ne eiusdem rei sedes altera mortalis erit, altera æterna; aut aliud sapimus, aliud est quod memoria tenemus & aut ne dicendum erit cum Platone, Nostrum hoc scire esse recordari & Vides quanta hinc absurda contingunt, ut hanc opinionem tuearis. Quinetiam Plinius mortalem censet. Alexander verò Aphrodiseus, & Ioannes Scottus de Aristotele affirmant, quòd idem de illo statuerit. Sed hos tanquam notissimos prætereo, vnius Galeni uiri grauissimi sententia requiratur, dicentis,

Ἀνδρόνικον δὲ τὸν περιπατητικὸν ὅτι μὲν ὅλως ἐτόλμισεν ἀποφίνασαι τὴν εἰσὶν τῆς ψυχῆς ὡς ἐλευθέρως ἀνὴρ ἀνευ τοῦ περιπέλειου ἀσφῶς, ἐπαυδάτε πάνυ καὶ ἀποδέχομαι τὴν φράσιν τοῦ ἀνδρός, ἐνείσκω γὰρ αὐτὸν καὶ κατ' ἄλλα πολλὰ τοῖσιν.

Quod est: Andronicum Peripateticum, quòd omnino audacter animæ substantiam declarauerit, ut uirum decet liberum, ac absq; obscuris inuolucris, ualde laudo, & uiri sententiam recipio: talem enim eum & in pluribus alijs inuenio.

Quid hoc est, Audacter protulisse, nisi quod legibus omnibus interdicitur, quodq; plebi inuisum est: At hoc ipsum planè Galenus affirmat: est autem nihil aliud, quàm quòd mortalis sit animus. Tum rursus:

ἔστι δὲ ἀθάνατος ἔστιν, ὡς Πλάτων βούλεται, διὰ τίχω



τί χωρίζεται ψυχθέντος σφοδρῶς, ἢ ὑπερθερμα-  
θέντος, ἢ ὑπερξηρανθέντος, ἢ ὑπερυγρανθέντος  
τοῦ ἐγκεφάλου, καλῶς ἂν ἐπεποιήκει γραφῆς αὐτός,  
ὡσπερ καὶ τ' ἄλλα τὰ κατ' αὐτὴν ἔγραψε.

Hoc est: Si autem immortalis est, ut Plato affirmat,  
cur nam separatur, ualde refrigerato, uel excalesfacto, uel  
exsiccato, aut humectato cerebro? Pulchrè fecisset Plato,  
si causam huius, quemadmodum et reliqua conscripsisset.

Sed mittamus ambigua, illum potius clarè lo-  
quentem audiamus hoc modo:

Τὸ το μὲν ὅμ ἡδὴ καὶ ὑποψίαμ τινὰ ἀφαίρει με-  
γάλην ὅλη τῆ τῆς ψυχῆς ὅσις μὴ ὅκ ἀσώματον ἢ.  
πῶς γὰρ ἂν ὑπὸ τῆς τῶ σώματῶ κοινωνίας εἰς  
τῆμ ἐναντίαν ἑαυτ' φύσιν ἀχθεῖν, μήτε ποιότης τῆς  
ἴσσε τῶ σώματος, μήτ' εἶδ' ὅ, μήτε πάθ' ὅ, μήτε  
δύναμις.

Hoc est: Hoc quidem magnam quandam de animæ to-  
tius substantia aufert suspicionem, ne non incorporea sit.  
Quomodo enim à corporis societate in contrariam suæ  
naturam traduci posset, si nec qualitas aliqua est corpo-  
ris, nec forma, nec affectus, nec potentia est?

Græcam volumus addere lectionem, non quòd  
immutata plura sint: sed ne cùm uerborum ambi-  
guitate in arcto res collocata fuerit, quispiã alter-  
utri partì nos fauere dicat. Sed nec minoris ratio  
Galenì auctoritate eius faciendà mihi uidetur, qua  
animæ interitū astruit, ea autem est, Fateor annexam  
illam, ut meritò instrumenti propria uic: quan-  
quam & hoc arduum sit, illa existente incorporea,  
actione sua frustrari, at in diuersum ac contrarium  
trahì

trahi ne utiquā naturę proprie, nisi etiam illius fuerit aut uis quędam, uel affectus, aut forma conceferim. At uerò ut ad institutum denuò reuertar: Cùm in nono de dogmate Platonis, & Hippocratis libro, ad sermonem de Platonis opinione iuxta finem, quam de anima haberet, deuenisset, illud subiunxit: Summę quidem esse diuinę sapiențię indicium, fabricam nostrı corporis his rationibus, quas superius attuli, abunde ostensum est. Quę uerò de Animę, & Deorum, qui nos finxerunt, substantia proferuntur, probabilitatem, & uerisimilitudinem non excedunt. Cùm uerò paulo post rationalem partem animę diuinam esse dixisset, ne uel hoc uerbo dubij essemus, quòd diuina soleant etiam esse immortalia: protestatur illico, se nihil de animę substantia, aut immortalitate prorsus locutum fuisse: quin etiam, ut intelligeremus, diuinitatē illam ad officium, non ad substantiam, aut diuturnitatem rationalis animę pertinere, quodq; unicum uidebatur huius opinionis Platonice fundamentum, imò Aristotelicę, Animum siquidem ob id æternum esse, quòd uniuersale (ut dicunt) concipiat, quod æternum est, ac materia caret, ille ex toto subruit. Nam in secundo Artis curatiuę, belluas etiam affirmat uniuersale ipsum agnoscere aliud à singulari, exemplo ni fallor ab asino, & camelo sumpto; nam & Leonem fugit, nec fugit camelum, hunc etiam sibi agnitum libenter admittit. Hic etiam in duobus libris, quorum alteri titulus est De affectuum animi, alteri De peccatorum dignotione, ac medela: moralem cùm tractaret

etaret institutionem, hominemq; cunctis alijs præ  
 ferret animantibus, non alio eum preposuit priui-  
 legio, quàm rationis. Expediebat autem maximè  
 ibi, non solum immortalitatis afferre rationem, sed  
 & quemadmodum Aristoteles facit, ad rectam ui-  
 tam instituendam, eam & si non crederet confinge-  
 re. Sed ad pristinum propositum denuò reuertor,  
 Si immortalis est animus, non alia magis ratione <sup>22</sup>  
 cèfendus, quàm ut flagitiorum luat pœnas: at ue-  
 rò si æterna, ac diuina est substantia, quid nam pa-  
 ti poterit: an in ignem, aut in aquam, glaciem ue,  
 poëtarum more conijcietur: aut ipsa seipsam desi-  
 derio perpetuo torquebit: & quæ etiam nihil ad-  
 mitter, nam solum mortales animæ affectibus sub-  
 iijciuntur, ut Plato uult, nihil minus insons plectetur:  
 tum uerò, cum non agnoscat, nisi uniuersalia,  
 quomodo iuste propter singularia pœnas dabit:  
 Sed est & aliud mirum, quod cum omnes animi <sup>23</sup>  
 uirtutes continuo quodam ordine disponantur, ut  
 sensus, imaginatio, memoria, ratio, intellectus: nec  
 uel modico plus ratio ab intellectu uincatur, quàm  
 ipsa memoriam superet, ut non solus Plato, sed pe-  
 nè antiqui omnes cum illo memoriam aut princi-  
 pem animæ partem, aut cum intellectu ac ratione  
 eandem constituerint: cæteris omnibus manifestè  
 mortalibus, ac corporeis existentibus, solus intel-  
 lectus incorporeus, immortalisq; habeatur: Illud <sup>24</sup>  
 uerò ualidissimum interitus animi argumentum  
 est, quod ipse in loco sit, quâdoquidem forma cor-  
 poris per consequentiam saltem necessariò sit in lo-  
 co. Etenim corpus; & homo in loco non obscure  
 b esse



esse dici debent, quare & eorum formæ illorum causa: At Deus ipse, & cęlestes intellectus, atq; substantiæ, saltem operatione in loco esse dicuntur, octauo physicę auscultationis, & primo cęli. At uerò post obitum ubi erit, aut quonam pacto tendit ad eum locum: num per motum aut mutationem: Nequaquam: nam quod diuidi nequit, moueri, neq; mutari non potest per se, nec alterius causa: cum corpus iam reliquerit: non igitur subito mutari, uel ad illum tēpore, ac motu deferri sponte, uel alterius causa potest. Præterea si transmutatur, illico id fiet: nam tum primùm anima illic esse incipit, cūm corpus cadauer efficitur. Cuius igitur motus hæc transmutatio terminus est: Non alterius certè, quàm eius, quę in qualitate: qualitas igitur, non locus acquiritur: alterius igitur causa, non per se locus per id mutationis genus habetur. At quod per se qualitate mutatur, per aliud in loco est: cadauer non anima terminus est proprius huius motus, qui secundum qualitatem fit: per hanc igitur cadaueri non animæ locus per consequentiam acquiritur. At qui animam superesse testantur, alicubi eam esse affirmant, sed neq; separata quid agat quicquam habet, nec à Deo recipere potest intelligendi uim, cūm ille nihil sine motu æterno cęli, ex Peripateticorum sententia, cuiquam tribuat: hoc autè, imò nec ipsa anima, cęlo subijci non potest. Manebunt, inquam, ne fortè morales uirtutes: Certè non: nam præter id, quod demonstrauimus, iam animam humanã separatam à corpore nihil intelligere, vnde nec moribus or-

nari

nari, qui sine cognitione esse nequeunt, aliud est, quod impedit: nam illis uti non potest, tum quia organo corporis caret, tum quòd ad unā partem uoluntas eius necessariò ab obitu ex omnium, qui immortalitatem animi tuentur, inclinatur: at uerò electio nō est illorum, que nec esse possunt, nec eligi queunt. Est etiam illud uero simile, Animam, si superfit, animas reliquas omnes cognoscere, uel saltem aliquas. Si quidem omnes, infinitas igitur, atq; ideo infinita uirtus erit, quæ cognoscit: Sin aliquas tantum, maximè eas, quas in uita cognouit, quare memoria utetur: Ostendit autem Philosophus tertio de anima, illas nō meminisse post mortem. Tum uerò cognitio ea, erit ne per cognoscentis essentiam? quid igitur prohibet, ut quemadmodum Deus, ne omnes futuras, præsentisq; cognoscat, atq; ideo denuò infinitas? Sin autem per illarum essentiam, esset forma dū intelligitur ab alijs, & informata (ut dicunt) dum intelligit: hoc autem est absurdissimum, & intellectu perdifficile, sin per speciem, seu similitudinem ab alio utpote obiecto profluentem, aut à Deo, uel una omnes intelligit animas, uel omnibus omnes, ut unicuiq; intelligendæ animæ species sua respondeat: Ergo altero horum efficitur, ut confusè eas agnoscat, si una similitudine omnes comprehendit: altero, ut infinitam habeat cognitionem. Multò uerò minus consentaneum, atq; eò magis ridiculosum, existimare, ut simul loquantur: cum enim natura similes sint, & æquales, auditus ac sermones undequaq; mutuò erunt infiniti; atq; id ridiculosius sanè an-

gelo Maumethi, quem tot ora habentem singulis capitibus, atq; in singulo ore tot linguas sinxerūt.

28 Nunquid etiam si à morte corporis meminit, uel etiam ad illud natura sua inclinatur, tandiu frustra bitur, atq; innoxia in posterū perpetuo desiderio illius discruciat: An uerò naturaliter resurgēt mortui? an uiolenter res diuina, æternaq; huius corporis carceri mancipabitur? Porro illud etiam necessarium fiet, ut scilicet libera natura in immutabilem euadat: & si regressus concedatur, denuo immutabilis fiat libera, aut si impedimento anima aliquo à libertate reuocatur, erit hæc uiolētia ipsi animæ perpetua: at cōcessum uidetur ab omnibus, affirmatq; philosophus, nullum uiolentum esse perpetuum. Est etiam illud consequens ad hos, qui animum immortalem prædicāt, ut hominem nec uerè generari, nec uerè fateantur interire: quandoquidem potior pars manet, aut ante ipsum hominem est: atq; ideo Plato transmigrationem quandam uocat, & qui cum eo consenserūt: totus enim homo, si anima est immortalis, anima est: & Theologi somnum ob id mortem uocant: an uerò Peripateticos sic appellare, ac credere mortē talem esse expediat, alijs dijudicandū relinquo. Forma etiam cordis senescit, senescunt enim operationes, atq; ut in adagio, Bis pueri senes: operatio docet formam qualis sit cognoscere: nam non ex alio oculi formam consenuisse agnoscimus, quàm quòd senio male uidet. Senescit igitur anima, quæ cordis ut potioris partis forma est, seu totum corpus sedem illius

31 esse mauelis. Nec credendum est, reges ac tyrannos  
tam

tam paruum in hominum cæde habere dubitationem, si illorum animos existimarent esse superstitiosos: quandoquidem, exuti & ipsi regno simul ac vita, tot hostes merito sint habituri. Eset præterea mirum, si animus esset intellectus quidam à corpore secundum naturam separatus, quod uel in primæ philosophiæ libris de ipso, uel in libris de anima de reliquis separatis substantiis philosophus non pertractasset. Quinimo tota hæc consideratio naturalis potius esse uidetur: nam cum secundum rem intellectus moueatur, materia sensibilis est de illius ratione: nam si à materia pendet res, in dubio posita non est: sin ut cœlestes intellectus absolutus, cur non uelut & in eis nulla à materia pro illius differētia ratio sumitur. Quare non obscure Auerrois sententiam amplectimur, quæ cum multo sit absurdior quàm utilior, merito relinquenda est. Illum etiam duabus naturis præditum concedere cogeremur: ut enim à sensibus pendet illius operatio, naturali subiicitur: ut absoluitur ab illis, primo philosopho, neque enim ut separata est à naturali considerari potest: nam reliqui intellectus principia sunt orbium, iste uero ut forma solum iam fuit: quare absurdissimum, & inauditum est, ut eadem forma, sub eodem operandi genere à duobus tam diuersis artificibus consideretur. Adde, quanta sit, ac quàm ambigua pugna inter sensus impulsus, ac rationem, quamque uicissim cõstet uictoria. Quis fieri igitur potest, ut immortalis rei mortalis non pareat: imò pax debet esse inter illa perpetua: diuina enim pace gaudent, imperantque mortalibus:

b 3 atq;



atq; eò magis, quòd in una anima ambo sedem  
 36 habent. Animus etiam si in partes diuidatur, nec  
 patiente, nec agēte nobis intellectu quicquam pro-  
 deſt, etiam ſi uterq; ſit immortalis: nam ſine patien-  
 te agentem, ſine ſenſu patientem Philoſophus neg-  
 gat quicquam intelligere. Extincto igitur ſenſu,  
 etiam ſi ſuperſit uterq;, neuter tamen intelliget:  
 prædicat enim ille, oportere intelligentem rerum  
 imagines per ſenſum interiorem formatas cõtem-  
 plari. At uerò ut & in ſenſu ſemper præuium eſt  
 37 pati, ipſi ſenſus iudicio, quod uerè ſentire eſt. Vi-  
 detur etiam Ariſtoteles ſecundo de generatione  
 Cap. 3. animalium, omnes animas potentia in ſemine ſitas  
 affirmare: ubi uerò potentia, ibi & ſuus actus.  
 38 Quòd ſi omnino extrinſecus, quaſi uerè exterius  
 prius exiſtēs, accedat, ubi propria illius operatio:  
 nanq; omnis forma operationem habet ſibi pro-  
 priam, quare & illam corpori coniuncta ſeruabit.  
 39 Neq; etiam illud facile eſt oſtendere, quònam pacto  
 æternæ exiſtenti, poſtea corpori contingere  
 poſſit: apud Ariſtotelem enim æterno nihil con-  
 tingit: perpetua igitur inclinatione ad corpus ur-  
 getur: quare rediuiam facimus Auerrois opinio-  
 40 nem. Nec ſatis intelligere poſſum, quònam pacto  
 exiſtentibus duobus actu iam animo & corpore,  
 41 unum uerè ex his fiat: Aut quomodo immortalis  
 exiſtens, & materia carens, forma ac principium  
 poſſit eſſe nutritionis: Namq; cœleſtia generandi,  
 alendiq;, mortalibus uim exhibēt, ſed non formæ,  
 42 uel ſimilitudinis ratione. Apertè etiam fatetur in-  
 tellectum Ariſtoteles, primo de anima, quodam in-  
 terius

terius corrupto euanescere; an verò propria subla-  
 ta operatione forma manebit, an potius aliam nan-  
 ciscetur operationem propriam non mutata for-  
 ma, aut quod extremum est, formam simul cum  
 ipsa facultate mutabit? Ipse etiã Philosophus dum  
 animam diffiniret, nec corpus naturale, atq; orga-  
 nicum, nec quòd illius esset actus omnino præte-  
 rit, nec intellectiuam ab hac tam generali animæ  
 diffinitione seiūxit. Neq; igitur non talis unquam  
 poterit esse intellectiua anima, nisi diffinitionis par-  
 tes à diffinito separari queant, uel tempore, uel alia  
 causa, vt non sit res una perpetua diffinitio. Illud  
 quoq; non minore dignum admiratione, quòd  
 animus perpetuum tempus solitarius consumpse-  
 rit, consumpturusq; sit, tam breui curriculo morã  
 hic ducens in corpore. Nam quid de abortiuis dicam,  
 ac tot alijs, qui protinus ut nati sunt moriuntur?  
 Quid quòd tam leuibus causis hæc cõiunctio  
 subiiciatur? cum quantacunq; uitę prolixitas ante-  
 cedenti spacio, uel subsequenti temporis compara-  
 ta, puncti uicem, ut rectè Auerrois inquit, referat.  
 Quorsum igitur tot animæ foetuum, ac nuper, ut  
 prodierunt ex utero, uita excedentium? Quàm in-  
 digna, quàm futilis, quàm ambigua copula huius  
 immortalis Dei cum mortali, ac fœda compage?  
 Rursus denuò, tanquam infecta re, causam hanc  
 nouis argumētationibus aggrediamur. Si animus  
 immortalis est, forma proculdubio humani cor-  
 poris erit: irridet enim Philosophus primo de ani-  
 ma dicentes Pythagoricos, animam corpore uti  
 tanquam instrumento, atq; ideo diuersorum ani-  
 malium

malium subire corpora: nanq; cum annexa sit, ut forma, non cuiq; corpori quaelibet anima conuenit. Non enim, ut ille inquit, ut in fistula fabrilis ars, sic animus in corpore: ars enim non à fistula pendet, uerum illius est tantum principium. Id si de anima fateamur, dicebat Aristoteles, nihil prohibet, quin Pythagoricorū fabulosam diuersarum animarum uicissim in corpora etiam hominum, atq; belluarum transmigrationem admittamus. Ergo si corporis, ut & nos fateamur, anima est forma, non ne subiecto corpori melius, quā substantiæ accidens inhærebit: nam ex animo & corpore unum uerius fit, quā ex substantia, qualitateq; quare cum sine substantia accidens manere nequeat, multo minus sine corpore animus. Sed si genus alterum animæ est intellectiua atq; sensitiuæ superaddita, cur homo à belluis nō genere, sed sola specie differt: Nanq; cum animalia sensitiuam animam ultra plantas possideant, merito ab illis etiam genere differunt: quæ enim sola specie differunt, easdem habent animas, sed differentijs diuisas, quæ genere aliquid plus, minus uel. Homo igitur quoddam genus est, atq; à belluis aliud: huius itaq; generis diuersæ species denuo, ut belluarum erunt, differentiæq; hominum, uelut & illarum secundum formam plures: quod nemo, uel immortalitatis animi cupidissimus unquam concedere ausus est. Si etiam in homine una anima est, uel sensitiuæ intelligit, atq; sic corporea est uis intellectiua: uel intellectiua sentit, quia afficitur, & patitur: utroq; igitur modo illarum quaelibet morti obnoxia



noxia est. Si autem duæ, aut plures animæ sunt, homo duo erit, duorumque animalium, ac trium uiuentium personam subibit. Nec illud prætereundum est, quòd quemadmodum auribus audientes, oculisque cernentes, nihilominus nos totos audire, cernereque sentimus, atque idem de tactu, nec magis hoc quam oculis, aut auribus, quamuis illius instrumentum longè latius toto corpore partum sit, generaliter utimur, quoniam quilibet sensus ad totam animam, quæ ubique diffusa est, refertur, ac pertinet: sic cum non secundum propriam ullam partem intelligere uideamus, sed toti, necesse est, ut intellectus & ipse uelut & anima per totum corpus distribuatur: quare, ut corpus sit, aut uis corporea quædam. Sed huic merito quisquam forsitan occurrat, dicente Philosopho in initio libri de Iuuentute, & senectute,

Ἐπεὶ δὲ περὶ ψυχῆς ἐν ἑτέροις διαίρειαι, καὶ διὰ λόγον ὅτι οὐκ οἴονται εἶναι σῶμα τῆν ὁσίαν αὐτῆς, ἀλλ' ὁμῶς ὅτι καὶ ἐν τινὶ τῶ σῶματι ὑπάρχει μορῶ φαιερόν, καὶ ἐν τῶ τινὶ τῶν ἐχόντων δύναμις ἐν τοῖς μορίοις.

Id est: Cum iam de anima in alijs differuerimus, manifestumque fuerit, eius substantiam non esse corpus: attamen eam in aliqua corporis parte subsistere clarum est, atque ea, quæ inter cæteras partes principatum obtineat.

Itaque si ita est, multo magis hoc de ipso intellectu statuendum est: totus autem homo sentire uidetur, ac intelligere, quia facultas eius animæ toti corpori communis sit, uelut quidem nutrimur toto corpore, anima tamen nutrix in una tantum

b s parte

parte refidet, sic de cæteris dicendum erit. Sed hoc ut indiscusso relicto, ad alia trafeamus, cum intentum probandi per alia & promptiora, & clariora, haud facultas defit. Itaq; quodcunq; uigilantibus adest, dormientibusq; subtrahitur, uis est, nō substantia: absurdum enim est dicere, substantiam recedere per somnum, neq; enim oculis, aut auribus priuamur, sed uidendi, audiendiq; facultate. Intellectum per somnum amittimus, non est igitur intellectus substantia. Omnes enim qui intellectum aliquid esse dicunt, illum cum operatione sua unum, eundemq; faciunt. Abest hic in pueris, in somno, in ebrietatibus: quamobrem aduentitiam rem, non substantiam aliquam esse putandum est. Considerandum est etiam, quod si animi plures sunt, uel numero tantum, uel etiam specie differunt: si specie, tot homines, tot hominum species: si numero solum, uel ob formam, atq; sic denuo etiam differre homines specie necessarium est: si uero materia tantum, aut differentes corruptioni propter illam obnoxij erunt, uel incorruptibiles, ab illa non pendent: atq; ideo omnium hominum non nisi animus unus. Cæterum animo etiam superstitie nihil iuuamur: nam si quicquam manet, illud est, quo intelligimus siquidem ipse intellectus: at hic nec sentit, nec ulla prorsus afficitur uoluptate, non dolet, non meminit: hoc enim commune est præceptum eorum philosophorum, qui illius immortalitatem tuentur. Nam & Plato ipse alias animas iræ adscribit, & uoluptati, de memoria solum diffidens: at cum non intelligimus, nihilominus im-

minuti

minuti nulla ex parte uidemur esse: quoniam in intellectu eorum, quæ homo agit, extrinsecus adueniens particeps nõ est: est enim illorum, qui sic credunt, quasi additamentum quoddam, & homini iam perfecto adueniẽs. Perfectum dico, quod iam sine illo uiuat, sentiat, recordetur, voluptatem, & dolorem percipiat. Reliquo igitur toto, præter intellectum, iam corrupto, & si ille sit superstes, quid ad nos? cum multa alia præter eum extrinsecus existentia post obitum maneant: an ideo oculum superesse dicemus, quod eo corrupto solis lux, qua ille uidet, supersit? Aequalia igitur prope sunt, seu maneat intellectus ex Peripateticorum sententia, seu non. Quamobrem illud uulgatum est, quod Auerrois dicit omnes philosophos, qui Aristotelem secuti sunt, animam humanam uel mortalem censere, uel unam. Est etiam non leue mortalitatis argumentum, quod ea ipsa, propter quæ maximè asserimus illum immortalem, fragmenta sunt, uniuersalia siquidem: nam uniuersale, ut philosophorum uocabulo utar, aut nihil est, aut posterius est scilicet ipso intellectu, ut philosophus dicit: ac rursus, Intellectus est, qui in rebus ipsis facit uniuersale. Ex quo colligitur interitus animorum, magnum argumentum, namq; non eadem est scientia nostra, nec intelligendi modus, diuinis, & immortalibus: stultum enim est credere, superos fragmenta moliri, ac per illa intelligere. Non plus igitur affinitatis est nobis cum superis, aut plus similitudinis in intelligendi actione, quam igni cum sole: aut luci, & lumini solis, cum ignis luce, ac lumine.

Erit

Erit igitur nostrum hoc intelligere cum substantiarum separatarū intellectu solo nomine unum, re autem ipsa differēs ab illo omnino, & alienum.

- 33 Iam uerò & illud animaduertendum duco, quod cum homines integra uita, delitijs, ac potentia fruuntur, nulla immortalitatis huius animorum cura teneri solent, imò nec quærunt: uerùm senes facti, uel pauperes, aut cum aliquo discrimine laborant, tunc ad malorum solatium illius recordantur: quærunt etiam, etsi non inueniant, fingunt. Vnde Cato cum mori destinasset, bis ea nocte librum Platonis de Animorū immortalitate perlegit, quem forsā uel tota reliqua uita, cum iam senex esset, nūquam inspexerat, ut non obscurum sit, potius ad leniendam miseriam, quàm propter rationem, mortalium genus in hanc tantam spem inclinasse. At decebat, si immortalis est animus, proculdubio cum nemo tam crassa sit minerua, qui non intelligat, quota pars æternitatis sit hæc uita, non in miserijs tantum, nec priuatæ fortis homines, sed reges ipsos perpetuò illam præ oculis habere. Verum haud difficile fuerit huic respondere rationi. Prætermitto, quod reges, ac principes, tū magistratus, multa singulis diebus difficilia, ac proprijs impulsibus contraria huius gratia perpetuantur: tum uerò quod etiam optima, ac singularis exempli opera faciant, quodq; sub mortis hora totos se huic contemplationi, ac fidei dedant: quod si ad calculum redigatur disputatio populorum, Rhetorum, Philosophorum, poetarum, historicorum, immortalitatis opinio pluribus suffragijs  
procul



proculdubio superior futura est, cum eam nulla gens non credat, semperque crediderit, nulli penè ne glexerint sapientes. Illud pro responso nobis nunc tantum sufficiat, (quando quidem non redarguere, sed respondere tantum propositum sit) quòd & in uita dum ualeamus, si modò nihil à morte superesse creditur, tota humana constante felicitate, nulla tamen ipsius uitæ cura habeatur, nullus medicum de propaganda uita consulit, nemo manifesta pericula satis studiosè deuitat, non est qui uoluptatem uitæ diuturnitati posthabeat, quin etiam morbis detenti, ac cum summa rei in discrimine posita est manifestò, nihil minus diligenter quaeritur, quàm optimus medicus, id est qui fide, eruditione, ac bona medendi fortuna sit peditus, sed ditio rem, uel ambitiosiore m, uel affinem, aut male dicentissimum, aut comptiorem, quasi de mollitie certamen sit, eligunt: quidam uerò adeo neglectim, ut etiam primum qui occurrat uocari iubeant. Ergo cum in tam presenti periculo adeo segnes sint de negligentia eorum, quæ post mortem subeunda sint, cum illam quisque quàm potest longissimè abesse sibi fingat, admiramur: Itaque ad mortalium errores pertinet, tam paucos inueniri de animi immortalitate sollicitos: sed cur deterior pars meliorè numero uincit: nam & hoc plerumque in cæteris apud homines accidit: Quoniam non secus humana administratio à diuina secernitur, cum in illa potiora semper præponantur, uelut in dæmonum (ut existimant) pessima quæque. Verum tamen & mortis negligentiam parit plerumque animi pru

mi prudentia : vt enim ille inquit, Dum mortem metuis, quod uiuis, perdis id ipsum. Immortalitatis autem memoriam mortis recordatio necessaria præit. Sed est & alia difficultas: Nam si memoria in mente sita est, cum homo obliuiscatur, diuinum aliquod esse mentem penitus dicere non possumus: si enim non memoratur à morte homo, quod & fatetur Aristoteles, quorsum supplicia, aut gratia erunt reddita?

*Argumenta pro animi immortalitate.*

1



MAGIS est illorum summa rationum uis. Sed ad presentes obiectiones sic respondere solent: Nam cum præcantationes, miracula, spectra, atq; somnia narrantur, ea omnia in naturales causas, in dolos, in timorem, ac animi nostri patentem uim referre solent. In naturales causas referuntur, quæcunq; in aëre propter uapores uideri contingit: nam procul, ut etiam in nubibus, miras species rerum referre consueuerunt, uel exercitus, aut alterius rei nouitate admirationem ac fidem in hominibus augente: tum uerò & id in nubibus cum frequenter appareat, negligimus. Similiter & quæ iuxta sepulchra, maxime illorum qui ferro periire, ad eandem causam reducuntur, ut in tertio de Varietate rerum libro docuimus: sic & quæ ad præcantationes pertinent, ad idem genus referuntur. Cum enim Celsus dicat, quod uulnera recentia spongia ex aqua frigida imposita assidue sanat: lineis alij, alij aqua fingunt se præcantare, sic etiam alij oleo, & nigra lana uulnera curant. Nam, ut Ga

ut Galenus in tertio, & quarto artis curandi docet, nullum medicamentum carnē creat, sed solum uel emendat malam membri temperaturam, uel uulnus eluit: quo fit, ut si quis optimē hoc curet tātūm cūm in uulneribus exigua sit mala temperies, uoti compos sit, siquidē uulnerū cura exsiccatio est: addit autem uerba, & superstitiones, ne inartificiofa cura uideatur: quis enim medicum sycophātæ gratia relinqueret, si nihil plus uirium auxilijs, quā uel aquæ, uel oleo inesse putaret? Non multo iam tempore quidam detectus est impostor, qui & pœnas dedit; cūm iam maximā pecuniā dolo congregasset, exercitui persuadens, plumbeas se pilas corporibus ui tormentorum impactas uerborum diuinorum ui extrahere, cūm rem ipsā manibus ostenderet, sed tamen non illam, quæ in corpore esset, educebat, uerū supposititiā manuum celeritate uulneri superinductā ostentabat. Quod si quis mira eius uiri prestigiatoris, qui nuper cum Cæsare uenit, inspiciat, nihil non calliditate humana fieri posse persuadebit, quandoquidem plures quomodo hæc fiant sponte edocuerit. Argumēto autem est his precantationibus nihil diuinū inesse: palam est, quod ulcera non possunt curare, sed uulnera: quod aqua, aut oleo utantur, quod aliquos etiam perdant leuissimis ex uulneribus. Quod si prorsus uis diuina est, nec humana indigebit ope ulla, nec minus ulcera, quā uulnera curare poterit, nec unquam fallitur: adde quod si horum uitam spectes, minimē cum professione consentiet. Sic etiam tumores frigidos cūm aqua cineris iuuet,



uet, quidam se è stirpe beati Ambrosij iactantes, uirum illum egregium, ac alioqui clarissimum infamant, non succedente plerunq; effectu: nam si materia adhuc ex internis fluat, aut ex nigro humore sit, non sanantur: quemadmodum nec lineis ulcera, quòd uel flegmon, uel mala temperatura illis iungantur, quæ lineis haud curam admittunt. Et ego præfenti anno mulierem, quæ tignosos experta frustra fuerat, aqua q; cineris diu se lauerat, quatrinduo ferme curauit, dato medicamento, quod pituitâ uiscidam copiosè posset educere: ut intelligeret illa, quamuis mulier, his uiris nullum numen inesse, quos nec ullus sanæ mentis ex stirpe tanti uiri, qui etiam absq; filijs mortuus est, fuisse credat. Sed quod ad dolos spectat, satis in rustici exemplo, qui pœnas dedit, nuper demonstrauimus. Eiuscemodi plerunq; sunt miracula quædam prauorum sacerdotum auaritia conficta, qualia & apud Romanos innumera circumferbantur. At uerò quæ timor, ut in pueris, ac mulieribus nocte ambulantis: quæ uerò ad phitones, ac homines dæmonio laborâtes, tû somnia pertinent, partim dolo conficta sunt, partim ad excellentem animæ nostræ uim referri debent. Nempe Aristoteles hoc pulchrè in libro de Diuinatione per somnum de somnio, quomodo fiat ostendit: uerùm hoc aliàs plenè docuimus. Sed quid de Platone, qui cum tot spectra, laruas, figmenta, miracula q; confinxisset, demum huius tam egregij commenti unum tantum exemplum adducit, atque illud adeò fabulosum, ac ridiculum

lum, ut palam sit, illum ioci causa ipsum tantum scripsisse.

Nunc demum uideamus, an forsan ad bene, beateque uiuendum hoc credere plurimum conferat; atque, ut uideo, nec in hoc utilis est hæc opinio: quinimo ut apud Ciceronem, Laërtiumque Diogenem multo sanctius iura, fidem, ac pietatem colebant Epicurei inter homines, quam Stoici, uel Platonici. Atque huius causam fuisse reor, quod ut Galenus docebat, homo fit consuetudine bonus, uel malus. At uero his, qui sanctitatem uitæ minime profitentur, nemo fidit: quamobrem fide maiore uti coguntur, talesque se apud homines præstare, ut non uideantur ea professione deteriores: unde etiã euenit, ut his temporibus pauci forneratorum fidem æquiparēt, cum tamen illi reliquo uitæ genere sint perditissimi. Quinetiam apud Iudæos, cum Phariseorum secta resurrectionem, nedum animorum fateretur immortalitatem, perpetuo Christum insectabatur: Saducæi, qui animi interitum fatebantur, uix semel, aut bis illum, nec moleste admodum tentauerunt. Inde si Plinij, & Senecæ uitam, non uerba comparaueris, inuenias Plinium cum sua animorum mortalitate, tanto superare Senecam probitate morum, quantum uerbis Seneca religiosissimus Plinium uincit. Colebant Epicurei honestatem, pupillorum hæreditates officiosè tractabāt, filios defunctorum amicorum proprijs pecunijs fovebāt: apud omnes optimi uiri, præter deorum cultum, quos esse ferme negabant, habebatur: ad hæc etiam spem mali occasionem arripiunt, boni multa per-

c peram

peram patiuntur, leges mitiores statuuntur: sic fit, ut hæc opinio etiam iacturam rebus humanis afferat. Sed nec ad fortitudinē conducere uidetur: nam non Cæsio Brutus fortior fuit, & si uera fateri uolumus, crudeliora etiam fuere facta Bruti, quàm Cæsij: nam ille Rhodios infensissimos longē melius habuit, quàm Brutus amicos, quibus præerat, ciuitates. Quid tādē? Brutus Stoicus patriam ab Epicureo Cæsio seruata, Antonio præter leges incolumi præstito, euerit.

Ergone tanta aduersus hanc opinionem moliri licet? aut ne plura adhuc supersunt? Verum nos omnia ex fide retulimus, nec quantū in nobis fuit quicquā deesse uoluimus: philosophum agimus, ueritas brauiū est. Pudeat nos dicere cuiquā partī magis fauisse, integra omnia uolumus. Plura possunt addi, sed quæ plurimum offendant, minimē. Nos autem nō quod cupimus quærere, sed quod in re est, debemus diligenter: nam in ijs, quæ in nostra sunt potestate, optimi uiri officium est, meliora, ac sanctiora uoluisse: in ceteris autem uerissima. Nec tamen illud hīc uerum esse decernimus, quod rationibus conuincitur: sed hoc dicimus uerū, philosophos istos, quos nunc in medium adducemus, ita sensisse. Nec nunc laborabo, ut ostēdam, quàm reipublicæ utile sit: hoc credere satis est, quod non de reipublicæ utilitate suscepta contentio est: quāuis non obscurum sit, nihil melius esse ad reipub. institutionē ac morum, immortalitatis animæ spe: & si fieri possit, ut in optima institutione uir pessimus, & in pessima optimus contraria uice existat.

Ergo

Ergo & rationes ipsæ, & philosophorum sententiæ à me diligenter excutiendæ primò erant. Sed postquam in unius Galeni uerbis diucius sumus immorati, quàm fortè par erat, breuitati semper studentibus, operæ pretium esse duxi, ut prius opinionem illius, quæ in hac causa deplorata habetur, diligentius inspiciamus. Fieri enim forsitan posset, non lim dicere, ut contrariam de animi mortalitate opinionem inueniam, sed longè plura prædictis addamus: quicquid sit, experiendum cum sit, hinc initium ducam.

Dixit sanè Galenus, non incorpoream esse animam nostram, quæ mētis ac rationis est capax: an uerò dixerit eam esse mortalem, nondum certè cōperī usquam, sed forsitan sequitur, uerum non planè: nam & cœlestia corpora omnino morti obnoxia erunt. Elementarē igitur animam uoluit, atque sic mortalem: equidem hoc suadet ratio, sed nunquid elementarem usquam dixerit, ignoro: illud recorder tamē, quod in septimo de Platonis & Hippocratis dogmate scripsit: est autem,

Εἰ δὲ καὶ περὶ ψυχῆς ἑστίας ἀποφύλασσαι καὶ  
 δυοῖν θάτορον ἀναγκαῖον εἶπαι, ἢ τὸτ' εἶν' ὅτι οἱ  
 αἰγροὶ τε καὶ ἀβροδοὶ σῶμα λεκτίον αὐτῶν,  
 εἰς ὃ λαμ μὴ βόλετ' κατ' ἀκαλοθίαν ἀθικόντου  
 σῶμα τε καὶ Ἀριστοτέλης, ἢ αὐτῶν μὲν ἀσώματος  
 ὑπαρχεῖν ἑστίας, ὄχημά τε τὸ πρῶτον αὐτῶν εἶναι  
 τὸτ' ὅτι σῶμα, δὲ ὃ μέσθ' τῶν πρὸς τ' ἄλλα σώ-  
 ματα κρινονίαν λαμβάνει. τὸτ' ὅτι μὲν ὅν αὐτὸ δὲ  
 ὅλα λεκτίον ἡμῶν ἐκτετατῶν τ' ἐγκεφάλου, τὴν ἢ τε  
 ε 2 πρὸς



πρὸς αὐτὸ κωνία δὲ ἵππας ὄλεθς αὐτῶν ἀνδρῶν  
μα φωτοειδὲς γίνεται.

Liceat in tam seria re uerbum reddere uerbo: Si autem  
et de animæ substantia dicere sententiam oportet, duorum alterum necessarium est dicere, uel hoc esse quale fulgens hoc, et æthereum corpus: ad quod dicendum, et si nolint, secundum consequentiam coguntur Stoici, et Aristoteles, uel ipsam quidem incorpoream substantiam existere, uel uicium autem primum illius esse hoc corpus, cuius medio ad reliqua corpora communicationem assumit. Hoc igitur ipsum per totum dicendum nobis extendi cerebrum: eius autem ad ipsum communicatione spiritus uisibilis lucidus efficitur.

Hæc cum dicat Galenus, imò constanter affirmet, Paulo altius propositum repetendum erit: est autem ut ostendat spiritum uisibilem lumine cœlesti participare, quod ille radios immittat rebus quæ uidentur, non autem ab illis recipiat, quod Aristoteles fatetur: siquidem apud Philosophum, omnes sensus patiendi sentiunt, auris sonum recipit, olfactus halitum cum odore, lingua gustum habet recipiendo sapes, tactus primas qualitates, tum durum, molle, asperum, & leue, eadem & in uisu ratio. Hoc tamen Galenus Platonem sequens negat, ut etiam decimo de usu partium declarauit. Sit ne uera hæc illius opinio, an potius Aristotelis, non est præsentis instituti inquirere. Attamen uideamus, per radios solis, uitreis, ac depictis fenestris transeuntes in subiectam terram qualescunque fuerint colores deferri, id est ad oculum delatis accidere, uerisimile est, ut huius rei clarum experimentum habea

habeamus. Est etiam hoc difficilius, quod & Philosophus pro se adducit, quod fieri necesse esset, ut uirtus quidem tam minima usque ad astra, quæ tam longè absunt, deferatur, ut quæ quadragies millies mille passuum millia à terra, atque amplius distet, cœlestisque illa substantia non dubiè mortali lumini peruia foret. At contrà pro Galeno est, quod si oculus patiendo solum concurreret, causa nulla esset, propter quid ex istis, qui acutè propè uident, longius non possint; nam in patiendo quælibet uirtus sufficit, modò instrumentum non sit corruptum; at acutissimè uidere propè, instrumentum quidem arguit opportunum, uerum spiritum exilem, & imbecillem. Cur igitur non hic à quacumque causa ad sentiendum non mouebitur, quandoquidem pati omnia, agere autem minimè apta sint; nam nec anguli strictura huius causa esse potest, cum res longè subtiliore sub cono angulo, propè existentes, quàm ciuitatem, uel montem procul uideat: nec ex debilitate radij solis id accidat, quandoquidem multi minus clarissima luce etiam uideant, ut quanto magis si ad radij fortitudinem res hæc pertineat, illam luce uberiore auxeris, eò minus uideat. Hoc igitur non ex alio accidit, quàm quod ex oculo uirtus ad rem uisibilem diffundatur, quæ si à tenui, ac subtili substantia prodierit, longo spatio dissipatur: si à crassa, cõseruatur: ob idque fenestras nec procul ualde, nec propè benè uidet: sed cùm mediocri distantia à re, quam inspicere uoluit, elongantur. Quinimò perspicillorum auxilium, haud tam euidentem posset apparere, si uideremus radij

ad oculum intus delatis: nam iam facti debiles tam breui interuallō non possent fortiores effici, sed potius iuxta rem ipsam apponi deberent perspicillia, quippe quæ radium ex initio à re prodeuntem, ualidiore efficerent: cum tamen cōtrā eueniat, nam proximi oculis ualidos suscipientes radios ob propinquitatem quadam ratione adaugent, ut uirtus illorū diu possit perdurare. Sed nec argumentum uitreæ fenestræ quicquam prodesse Aristotelis opinioni debet, sed obesse potius: cum tota terra, quæ radijs obiicitur, omnibus coloribus debeat esse permixta, nullo colore alium superante, cum ad uisionem hoc modo causandā, omnes colores ad singula puncta deferri necessariū esset. Sed hæc præter intentum: illud sufficiat intellexisse, Galenum, Platonem secutum, uoluisse uisionē ab oculis per radios supra res uisas immisos fieri, atq; ob id animā quæ in cerebro est, statuisse uel æthereum corpus, uel incorpoream, æthereo tamen utentem corpore illo. Quid igitur admirabilius est, animā esse corpus, an incorpoream existentem mortalem esse? At uerò cum concesserimus, illam esse incorpoream, atq; æthereo corpore alligari corruptibili corpori, non ne hoc planē est immortalem illam fateri? Melius igitur est, ac ad mentem illius dicere, eam corpoream, sed lucidissimo corpore constantem, quale æthereum est: nam si hoc quintum corpus est; omnino uel sic immortalis est anima. Num igitur inter elementa aliquid adeo lucidum est, & clarum, ut ad hæc sufficiat? Certè non: aut quid attinebat æthereū dicere corpus, si elemētare uoluerat

uoluerat intelligi: an ei uiro uerba deerāt: Quod si  
 elemētare corpus existimauit, haud dubiē cerebro  
 erat coëxtensum, quorsum igitur attinuit addere,  
 quod toti cerebro hoc corpus coëxtenderetur: sed  
 & inter elementa, quod nam adeo ualidarum ui-  
 rium est, ut ex terra lucem usq; in cœlum ermittere  
 possit: nanq; nec ignis, nec aqua hoc facere queūt,  
 præsertim tam minima existētia, neq; in plurifa-  
 riam mixto, tam sincerū usquā inuenies elementū,  
 quare necesse est cœlestem eam esse animæ substan-  
 tiam, nisi & præter cœlum & elementa aliud cor-  
 pus diuersum, naturaq; simplex statuatur. Sed &  
 si corporea erit anima, quis inquam illā mouebit,  
 cū nihil se ipsum mouere possit: nec etiā illud  
*oīop*, ad negationem referri debet, sed ut partem ex-  
 primat: nanq; uel sic non fulgidum corpus esset  
 anima, cū proculdubio apud Galenum neq; has  
 sit, negare animam talem non esse: palam igitur  
 quod, *oīop*, exprcsionis gratiā, nō ad similitudinē  
 dictum est: Quare ætherea est anima apud Gale-  
 num, ut uel non fidēdum sit Galeno, cū animam  
 corpus dixerit esse: uel omnino si ei credamus, uel  
 corpoream esse dicamus, immortalem tamen fa-  
 teri cogamur. Est etiam illud in homine mī-  
 rum, qui cū decimo de Vsu partium fateatur se  
 à Deo monitum, ut de oculis conscriberet: tum  
 aliās etiam ad medicinæ studium impulsus, ac fan-  
 nitati restitutum, oraculo per somnium accepto,  
 cur non apertē protulerit animi immortalitatem:  
 siquidem turpe Deo est, cum mortali habere com-  
 mercium, si nihil commune utrisq; sit. At uerò exi-  
 stiman

111.

c

4

bisid



stimandum est illum proculdubio immortalem, sed non incorpoream existimasse illam: nam cum in prima illius autoritate dubitare uisus sit, nihil difficile uidetur, si quantum est corpus, illud potius à reliquis deferri, quàm deferere. Verum nititur, ut ex sequentibus apparet, uerbis ostendere, illam minime esse incorpoream: quod an faciat, illis relinquo: Sed tamen & hoc subiicit,

πολυὸν λέγειν αὐτῶς, ὡς ὁ πᾶν εἶδως σώματος ἐπιτηδόν ἐστιν ὑποδέξασθαι τὴν λογιστικὴν ψυχὴν.

Hoc est: Audeo dicere hoc, quod non omnis corporis species apta est suscipere rationalem animam.

Sed cum etiam contra illam iterum inuehatur, hoc tamen seruat, ut illam non incorpoream esse ostendat. In v. etiam super sextum Epidemiorum Hippocratis cōm. v. dicebat: Necq; animæ substantiam me firmiter scire persuadeo. At postmodum, quasi sibi inconstans, paucis uerbis interpositis, ait: Illud præterea persuasum habeo, spiritum in cerebri cauis positum primum esse animæ instrumentum, quem etiam ut animæ potius substantiam esse dicerem, mihi erat animus. Siue autem tota cerebri natura ex quatuor elementorum temperamento ad eam substantiam, uel proprietatem redacta sit, per quam sensus, motusq; uoluntarij in animali primus opifex habeatur, & memoriæ scilicet, & intelligentiæ: siue alia quedam incorporea uis cerebro indita fuerit, & morientibus animalibus recedat, nullam hac de re firmam rationem habeo. Hæc ille, non minus perplexè, quàm callidè. Cæterum illud etiam  
haud

haud magnificandum puto, quod Galenus in hoc statuat, cum proprium opus, cui titulus erat, de Animę partibus, ac potētis, quod ad hanc rem pertineret, interierit. Ipse etiam Epicureus erat: indicant illius philosophiæ Galenum fuisse studiosum libri multiplices, tum tres maxime, in quibus placita illorum comprobant. Mirum igitur est, cur uel in hoc solo proposito non ad eodē cōstanter illum sequutus sit, sed ætheream pronūtiarit animam: uerum absurdiora, dum illum sectatur, ac philosopho indigna profert, cum in libro eodem, ex quo penē omnia hæc sumpsimus, cui titulus est, Animi mores corporis temperaturam sequi, dicat, stellas ob id esse prudentes, quod sint siccis imæ: talesq; etiam esse homines, qui ea constant temperatura. Quis unquam audiuit stellas esse siccas? inde, quis illas esse prudentes, uel deliras, quæ nihil intelligāt, sed cœli, in quo sunt, motu circumferantur? Deinde, quis dicat hominis animam, cuius corpus sit humidissimum, siccam fore, atque ob id esse prudētem? Piger hæc narrare: sed quis non uidet, immensum amorem artis illum in hanc traxisse opinionem, ut nō solum ualetudo, uires, & uita, sed & mores medicinæ subijcerentur: & nisi ueritas, quæ omnium ualidissima res est, uel inuito extorsisset, quod animam ætheream fateretur, iam in illius interitum apertē inclinasset. Verum & hoc modo cum Epicuro cœlestem existētem, interituram tamen sentit. Nam Epicurus cum omnia corpusculis constare affirmet, etiā sydera, & stellas ad interitum uocat: nobis fat sit, animam fore cœlestem, si modo cum

c s hoc

hoc etiam interitura sit, aliàs uidebimus. Seu igitur Galenū relinquamus, siue amplectamur, negotiū de animi interitu satis explicatum est. Nam uel omnino illi nullam adhibebimus merito fidem, uel nolentibus adhibere, ea confiteri illū ostensum est, per quæ proculdubio, ni omnis philosophia peripatetica, uel academica corruat, immortalem animam rationalem fateri necesse sit: quamobrem eo relicto ad Platonem ueniamus,

*Rationes Platonis pro animæ immortalitate.*

1111. **H**ic quidem, cum multa multis in locis pro animi immortalitate conscripisset, hæc argumenta existimauit ad propositum ostendendum ualidissima. Primum ratio ipsa, qua unum ab altero differt, & si unum in reliquum transmutari possit, inuariabilis permanet: nam si paries candore albus sit, & si paries possit denigrari, candor tamen in nigredinem minimè potest transire. At uerò uitæ ratio in homine est anima: uiuimus enim propter animam, anima igitur in mortem transire nequit, etsi quod per illā uiuit, mori possit: Immortalis igitur est anima. Vt igitur trini ratio in quaterni rationem nūquam transire potest, neque par esse, etsi tria in quatuor possint euadere: sic anima, quæ author est uitæ, mortis subijci nūquam poterit. Ex quo patet, Proclum atq; alios expositores, qui Platonem de anima tantum perfectorum animalium, non muscarum & uermium illum intelligere putant, longè falli: cum hæc ratio non solum ad imperfecta animalia, uerum ad plātarum omne genus

genus, & generaliter ad quodcunque, quod uiuit, extendatur. Constat autem ratio ipsa ex transitu contrariæ causæ in contrariam; nam mors uitæ contraria est.

Secunda eius ratio, Digniora, & undequaque magis absoluta, sunt etiam diuturniora, nanque talia uidemus esse cœlestia: at uerò anima dignior est corpore, nãque primo illi imperat, nec in perpetuo est fluxu, ut corpus: proxima etiã immortalibus, & inuariabilis est: igitur corpore diuturnior. At cadauer à morte etiã per aliquot superest dies, et si seruetur Aegyptiorũ more, ad multos perdurat annos: Anima igitur cœlestibus similia corporibus, splendore, cognitione, firmitate, substantia, à morte diuturnius uiuet: ipsi q̄ cadaueri meritò erit superstes. Palam autem est, rationem de omni anima concludere, etsi præcipuè de rationali.

Tertia in hoc consistit: si quis rectè interrogatus de ijs, quæ iam nouerit, sed oblitus fuerit, etiam rectè respondet ad ea: quoniam quæ obliuioni mandauerat, ad memoriam reuocat. Nam si quis de cane te roget tuo, quem aliàs amiseris, nõne proculdubio illi enarrare poteris & formam, & mores, & magnitudinem: at de alio cane, quem non noueris, hoc efficere non queas: at rerum, quæ discuntur, per solam rectam interrogationẽ assensus fit: ut quòd totũ maius parte sit, & quòd quæ æqualia uni sint, & inter se etiam sint æqualia: non sic sensibilem, & nouorum hominũ, nisi sensu eas perceperis, habetur cognitio. Quamobrem Scire ipsum est reminisci: est autem Reminiscencia eorum, quæ aliàs



aliàs didicerimus. Anima igitur antequam in corpus ingressa sit, multa perdidit, quare ante ingressum fuit, ex mortuisq̄ uenit in uitam : rursus autē necessariū est, ut ex uita in mortuos demigret, aliter numerus ille animorum deficeret. Apparet autem hanc rationem de anima tenere eorum duntaxat animalium, quæ memoria prædita sunt: quin etiam defendi posset, solis hominibus conuenire,

VII. Alia etiam ratio illius talis est : Circuitus in rebus cunctis apparet; & quæ solum recta feruntur, nec regredi solent, finem inueniūt: at ex uita mors fit, ac uitæ interitus succedit: igitur & uicissim contra, morti denuò uita succedet: utq̄ ex uiuis ad mortuos transitus per mortem fiet, sic ex mortuis ad uiuos per generationem transitus erit: mortui igitur sunt, & inferi: nam duarū mutationū unus est saltem terminus, ex quo: ut igitur in morientibus uiuētes iam præfuerūt, sic in nascentibus mortuos præcessisse necessariū erit. Palàm uerò & hanc ad uniuersa quæ uiuunt corpora extendi rationē, contrarijs autem terminis innititur.

VIII. Rursus, sempiterna est ueritas, et scientia: utruq̄ autem in anima est: immortalis igitur anima: nam secus cum illa corrumpetur utrunque horum: nec ullo modo probabile est, res natura æternas in corruptibili subiecto sedem habere. Hæc ratio aut homini soli, uel perfectis tantum competit animantibus: nam & apud Platonem, quãuis obscuriorem, belluæ tamen absolutæ naturæ scientiam habent. Sic etiam argumentatur:

IX. Quod mouet seipsum, est immortale: anima seipsum

ipsam mouet, immortalis igitur est: nam animam seipsam mouere palam est: at uero quod seipsum mouet, quia nunquam se deserit, nunquam cessat moueri: hoc igitur principium est, non solum sibi, sed cæteris, quæ ab ipso mouentur, motus: quare anima principium est. At principium sine ortu est, cum potius aliorum sit initium, & origo: anima igitur non oritur, quare nec interire potest: nam si interiret, & non oriretur, necesse tandem esset illarum numerum ad finem peruenire: exëplo etiam immortalium rerum Solis, & Lunæ ac stellarum patet, quod semper mouetur nullam interitus metam subire, hæc omnibus ratio uiuentibus conuenit. Quam quidem Cicero in Tusculanis quæstionibus tanquam subtilem & acutam admiratur, laudat, extollitq;.

Habet & argumentum ex moralibus, si anima x. deficere possit, uitium utile, & prodesse poterit, & uirtus damnosa erit, nocereq; posset: Hoc autem cum esse non queat, quod alterum per se bonum, reliquum per se malum, atq; ideo in contrariam naturam transire non possit, candor enim denigrare, & lux tenebras offundere minimè potest: Relinquitur, animam immortalem esse: nam si anima non supersit, palam est hæc omnia in promptu esse: hæc q; ratio, ut reliquæ, ad animalia sensibus omnibus absoluta pertinere potest, quanquam iuxta Aristotelem ad homines solos contrahatur.

Est etiam illud planè apud illum immortalita- x i. tis animæ argumentum, quod operationem habeat seorsum à corpore: ipsa uero quas cum corpore

pore cōmunes habet, proprias magis sibi habeat, uelut angere, nutrire, sentire: at si ita est, corpore tanquam uehiculo, atq; instrumento utitur: quò pereunte, ipsa non solum manebit, sed tanquam uinculis & carcere liberata illustrius intelligit, atq; cognoscit: atq; idem uidetur etiam belluis commu-  
ne: ex quo patet animam ab initio ortus nobis as-  
sistere, imò illius causam esse: quare debuit Alexan-  
der Aphrodiseus, illam post nobis accedere intel-  
ligendi potestatem, iam natis nec simul cum ortu,  
quemadmodum ambulandi facultatem, & si tunc  
ambulare non possimus, aduersus Platonē ostē-  
dere, tum præsertim, cum harum duarum potesta-  
tum nec originem demonstrauerit, nec differentiæ  
rationem: nam sic planè ostendisset, nostrum nihil  
à morte superesse.

Sed iam Platonis rationes excutiamus: Viuere  
corpori est propter animam, igitur anima mori  
non potest. Dico illam, quòd à corpore profluat,  
non interire, nisi illius interitu: non tamen potest  
anima mori per se, nec corpus propter animam.  
De trini ratione ratio similitudinis claudicat, quia  
trini ratio hæc potest definere, quamuis non pos-  
sit permutari in quaterni rationem: at anima in  
mortem trāsmutari non potest, sed bene definere:  
at uerò cum dicimus, quòd uita morti est contra-  
ria, fatemur, una ergo alteri succedet, non ne etiam  
trini rationi quaterni ratio succedere potest, priore  
corrupta: at trini ratio nunquam paris subibit ra-  
tionem: fateor, uerum anima nō à morte corrup-  
pitur, sed à mortis causis, quæ causis uitæ aduersan-  
tur

tur. Quòd uerò digniora sint diuturniora uilioribus, nò est uerū in his, quæ diuersa sunt specie, nec quæ se habent, ut materia, & forma: aliter formæ artificum manerent corruptis subiectis, cum tamen accidat oppositum: item materia prima æterna, corruptibiles autem simplicium, & mistorum formæ nobiliores.

Ad tertium, Scire non est reminisci: nam aliqui Solis & Lunæ reminiscerētur, quoniam & illa aliquando uidissent, cum æterna sint: at ex cæcis dignoscimus, quòd nunquam aliàs solem cognouerint: ut igitur in oculo aliquod lumen est ingentū, ut uidere possit, sic assensus ad principia animo inditus naturæ priuilegio, aliter intelligere non posset reliqua.

Ad quartum, Eadem ratio doceret ex cæcitate in uisum fieri regressum. alia igitur succedunt, non per regressum: & non est necesse eosdem esse terminos in numero motuum contrariorum in specie: nam sufficit quòd unus sit à forma ad priuationē, alter à priuatione ad formā: aliter sequeretur, quòd idem lapis etiam numero rediret, & daretur etiam lapidis anima post ipsius corruptionem.

Ad quintū, Radij solis æterni sunt natura sua: nam in cælo non corrumpuntur, desinunt in aëre, corrupti corruptione subiecti: nec est inconueniens quòd res natura sua æterna sit in subiecto corruptibili, sicut species solis in oculo equi: nec ualet, cognoscit rem æternam: igitur cognoscens æternum est: nisi comprehenderet perfectē, ut in exemplo solis docuimus,

Ad sex



Ad sextum, Anima non mouet seipsam motu locali, nisi ad motum corporis: motu autē sensus, ut Aristoteles docet, & intelligendi, mouetur ab obiecto, nō à se: motu uerò nutritionis mouet medio primarum qualitatum, & in omnibus corporeis uariationibus à sole, & astris adiuuatur.

Ad id de moribus dicimus, quòd bonum per se potest malum per accidens producere, & ita contraria uice: uirtus autem est quæ habetem perficit, & opus bonum reddit, uirtute igitur ipsa anima perficitur, uelut color luce: uitiū autem corrumpitur: & si etiam omnis species immortalitatis tollatur, uirtus animum erigit: uitiū, & sceleris conscientia exagitat: nam & præter metum post mortem, multa sunt quæ hominem ab indecoro prohibent: conscientia, legum metus, sociorum reuerentia, tum maxime honorum, populi infamia, ingenua quædam nobis uerecundia, recta ratio, consuetudo à pueritia inducta, difficultas patrādi, & metus illorum, in quorum iacturam flagitium peruenit, neque enim uirum peccare licet grauius sine alterius detrimento: tum, quod maximum est, ne paulatim in deteriora illabaris, suspicio, ut tandem legibus obnoxius fias.

At uerò quantum ad exitum pertinet, opinio de immortalitate animi, aliquando plura mala excuscat, quàm bona: ut cum nostris temporibus totus mundus religionis cōtentione pessundatur: Lutherani catholicos oppugnāt, cum Christum utriusque tamen colant: & Persæ cum Turcis ob id grauisima bella gessere, cum utraque gens Maumethem

them adoret: quid postmodum Christianis cū iīs qui Maumethem colunt, res nō mitius, quā cum pātheris ac tigribus agitur, incēdio, cæde, ruina, stupris, ac miserabili direptione, nō homines, non oppida, nō ciuitates, sed integræ prouinciæ hac peste iam desolatæ sunt; quæ mala nusquam essent, si omnes animorū interitū crederent. Igitur bonū hoc per se, si bonum est ueritati insistere: & ueritas, ut Plato uult, est animum nostrum immortalem esse, ingens tamen malum per consequētiā parere potest: non igitur hæc probant, quæ in utranque partem quasi ex æquilibrio possunt inclinare.

Ad ultimum dicendum est, Animum nostrum habere operationes aliquas seiunctas à corpore, ut prima operatio secundæ est causa, & secūda tertiæ: quia tamen omnes à prima pēdent, suntq; in subiecto corruptioni obnoxio, ideo corrumpūtur, ut de Solis lumine in elemēta diffuso dictū est, Quod autem anima organo utatur, probādum iam erat: homo enim utroque utitur, anima, & organo. Pro his autem Alexandri explicanda positio est, qui solus inter Philosophos magni nominis, intellectum censuit corruptioni obnoxium.

Anima igitur est substantia, quæ est actus corporis naturalis potentia uitam habentis: est autem in semine in potentia, antequam fiat animal, ut in ouis, & arborum, ac herbarum seminibus manifestè apparet: est etiam diffusa per totum corpus, uelut et lumen, sed radix eius ut ignis in corde sedem habet: indicio est, quod arteriæ per se mouentur, & tamen ligatæ motū amittunt; instrumenta duo  
d habet

habet, cerebrum, iecurq; , singularia : sed generalia duo, calorem, & spiritum: hæc in hominibus lucidissima est respectu cæterorum animantium, & in ea nihil ab initio impressum est, sed tanquam tabula munda, & clara, omnibus imaginibus recipiendis apta est: habet tamen assensum ad prima principia natura inditum, nō ut illa sciat, sed ut repræsentata per sensus, uel imaginationē, aut memoriam, illorū ueritati subito consentiat.

Materialis itaque intellectus est præparatio illa in anima, qua species intelligibilium anima recipere apta est, palam enim eam aliquid esse, postquam anima culicis, uel aranei has nō potest formas propter imperfectionem suscipere: eorum autem quæ suscipiuntur formæ nomen intellectus habent.

In habitu igitur intellectus dicitur, qui formas ipsas cōtinet, scilicet cū quis intelligit: non omnis autem homo intelligit: nam etsi facultatem intelligendi ab initio, id est præparationem illam à natura susceperit, nō tamen à natura actum assequitur, sed exercitatione, & labore, ac magistro opus habet: non enim ut ambulandi facultas: & gignendi semen, cum ab initio potestate à natura tradita nobis sint, ab eadem suo tempore sine industria reducuntur, sic est de intellectu: imo potius hic natandi refert similitudinē: nam omnes homines cum hac facultate produxit natura, quæ tamen ab illa sine exercitatione non reducitur ad actum, ut etiam de loquēdi potestate: palam autem est, hunc duplicem esse, Practicum, ac Speculatiuum, itemq; qui secundum actum, uel habitum dicitur, Secundum actum intellectus

Intellectus est, quādo species rerum iam intellectarum intellectui offeruntur, estq; in ipso actu intelligendi anima. Secundum habitū uerò est, coaceruatio intellectarum specierū intellectu eas non considerante: palàm autem est, quòd unum poterit considerare reliquis non intellectis, eruntq; alia secundum habitum, alia secundum actum in anima: seu alius intellectus secundum habitum, ab eo, qui secundum actum est. Potest autē intellectus hoc modo seipsum intelligere, & tunc fiet uerè intellectus in actu: quantò autem magis ab his in hæc procedit à sensibilibus se elongando, eò magis à materia omni remouetur, atque perficitur. Ultima igitur, ac perfectissima operatio, atque separatio fit, dum primam causam intelligit: cū uerò necessariū sit, intellectum, & id quod intelligitur, unum atque idē esse, nam iuncta ambo sunt, amboq; materia carent: nec est quod intelligitur, nisi quia intelligitur, si à singularibus sumptum sit: nec intellectus, nisi quia intelligit. imò: ut diximus ille ipse species est, quæ in anima sunt dum intelliguntur. Propterea cū primam causam, aut separatam aliam intelligit, aut seipsum, idem fit, & unitur illi: quare ultima perfectio eius, quæ etiam postrema est, cū primam causam intellexerit. At uerò prima causa ipsa æterna est origo aliorum, quæ intelliguntur, & si non intelligatur ab alio, tamē est: quamobrem incorruptibilis est hic intellectus adeptus, atque æternus in se. Manifestum est autem, quòd intellectus agens est prima causa. Intellectus agens est, qui sua natura intellectus est, cū alia propter ipsum intel

d 2. ligam



ligantur: sicut Sol per se lucidissimus cum sit, astra omnia lucida magis, aut minus reddit: nam si agēs intellectus nō esset, nihil intelligi posset. Intelliguntur autem alia, quia sic sunt, & per se intelligibilia, quia formæ à materia separatae, ut prima causa, & quæ ex eodem sunt genere: & hæc antequam intelligantur sunt, manentq; postquam fuerint intellecta: alia sunt non natura consistentia, sed intellectus opere fiunt: fundamentum tamen ex sensibilibus singularibus sumente, hæc igitur intellectu non considerante decedunt, ut cum ab illo solo pendant.

Speculativus igitur intellectus dicitur horum omnium, quorū scientia haberi potest, seu in æternis, ac in materialibus fundamentum habeat, seu in singularibus, ac corruptibilibus.

Practicus autem intellectus est de ijs, quæ opinione cōstant, ad actusq; dirigitur, tum artis, tum prudētiæ, tum eorum, quæ opinionem admittam secum habent, uel quia naturalia sint, uel saltem, quia sensuum beneficio: quanquam à scientia ortum suscipiant, perficiuntur, ut medicina, & agros metiendi peritia.

Omnibus igitur sic existentibus, humana anima cum & sensu prædita sit, & intellectu, sensus autem quoquomodo ipsa sit, sensibilia cum materia spoliantur: & intellectus ea, quæ intelliguntur: erit anima similitudine omnia, ac potestate, seorsum tamen: nanque simul forsan esse non potest: suprema igitur rationalis anima est, atq; potētia, postquam materialis intellectus, qui etiā animalibus quibusdam

dam ualde perfectis, præter hominem: communis esse uidetur, post quem memoria, post impulsus, quem uocare solent appetitum, post quem imaginatio, inde sensitiua anima, ultimo loco nutritiua. Porro rationalis etiã animæ nobilissima pars intellectus est speculatiuus, huius etiã nobilior pars intellectus in actu, cuius suprema perfectio est, quod causæ primæ coniungatur.

Nunc igitur uidendum est, quonam pacto secunda ratio Galeni probet, quia cum in cõtrarium affectum dirigitur anima, ideo corpoream esse fatetur: At Alexander, qui maxime animi interitum astruit, & morbis animam concuti affirmat, nec tamen illam esse corpoream, nec intellectum ob id materiæ esse participem: nam dum aberrat morbo intellectus, non in contrariam uertitur naturam, imò nec intelligit. quod si imaginatione memoriæq; labatur, aut materialis ille intellectus, cum omnia hæc belluis etiam sint communia, non arguunt rationem, seu mentem pati: sed fac ut patiat, non dubium est, animam ex eorum immortalium genere esse, quæ uitijs quibusdam obnoxia sunt: uelut enim Luna, quæ in contermino cœlestium est, atque elementarium corporum, quãuis sit ab omni corporea alteratione libera, atque ut reliqua astra incorruptibilis, attamen multiformis & maculosa, & deliquijs subdita manifestè apparet: sic non dubium est, intellectum nostrum ex genere sempiternorum in confinio tamen mortaliũ, diuersimode quidem, quoad nos, affici: substantia tamen illius minime corporeæ obnoxia alteratio-

d 3 ni:

ni: nanq; si calefceret intellectus, aut refrigeraretur, proculdubio etiã morti obnoxius esset: sed quod nunc quidem illustris, aliàs obscurus habeatur, etiam absque instrumenti proprii permutatione, hoc non solum mortalium ex genere esse ipsum ostendit, uerum potius immortalium: quandoquidem uis eius, atque perfectio, aliunde quã à corpore ducit originem.

XII. Sed nec tamen illud argumentum, quod Alexander quasi ex Aristotele sumpsit, ad differentiam sensus, & intellectus ostendendam, multum ualere uidetur: nam sensus non in ualidis sensibilibus obtunditur, nisi organum lædatur, quod etiam accidit ualdè laborantibus, ut intelligant: non ne multi, ut eruditi euaderent, insanierunt: at si per ualida sensibilia difficilia intelligamus ad assequendum, profectò idem accidere uidetur quod in intellectu, scilicet ut leuiores etiam facilius apprehendant: nisi, ut diximus, instrumentum labore corruperint: indicio est, quod qui semidiapente percipit aure, longè facilius diatessaron, ac multò plus diapente cognoscit, atq; facillimè diapason: & qui assueti sunt per noctem ambulare, in crepusculo si iter agant, longè melius uident cæteris: & qui gemmas scalpunt dum iuuenes sunt, melius singula quæq; minima percipiunt.

Porro primam causam intelligere, & Solem uidere, non similiter se habent: tum primum, quod Solem quidem totum uidemus, organumq; à Solis radijs corrumpitur: at Deum non perfectè intelligimus, sed uix illius umbram, nec nos ulla qualitate

tate peregrina offendit ille, cum omnis talis expers sit.

At uero nec Platonis sententia stare potest, ut scilicet belluarum animæ etiam sint immortales: nam omnes illarum actiones corpori communes sunt: ideoque omnis illarum uis corpori communis, atque interitui parata. Cessat etiam finis: nam cum natura, non ratione agant, peccare minimè possunt: & si peccent, cum ratione careant, etiam quod puniatur, nescient se ob id luere pœnas: est autem hoc proprium ultionis iustæ, ut intelligat, propter quid pœnæ illi sit addictus. Illud uero maximum, cum tam proxima inuicem adeo natura sint, nec ullum sit euidens interuallum, nisi ad hominem, necesse prorsus erit, utque ad plantas ipsas descendere, quod belluarum naturam ordinatam, ac sensim descendentem contemplanti, apertum nimis est: hoc autem quam absurdum sit, ut ne ipse Plato concedere ausit, si uiuat, satis unicuique perspicuum est.

Veruntamen ultra immortalitatis spem, si quis aliam in homine perfectionem statuere uelit, iuxta Galeni, uel Alexãdri opinionem, in intellectu quidem duas habebit: alteram contemplationem primarum causarum, alteram artis alicuius, uel prudentiæ exquisitam rationem: in homine autem uis tæ longitudinem, robur, & incolumitatè cum formæ elegantiæ: exteriora autem gloriam, libertatem, filios, diuitias, atque eiusmodi, quæ in libris de Sapientia docuimus.

Verum quod ad opificis industriam attinet, nihil omissum est diligentia: adeo enim excellenti arte

d 4 fabric



fabricatum est nostrum corpus, ut totum harmonia quadam confiteretur: unde infantes non alio magis demulcetur: quam nutricum cantu, atque adeo vehementer, ut meminerim nullam ei, quam dum in cunis essem, postmodum grandæuus sensisse uoluptatem, & si adolescentiæ illecebræ, & ueneriorum usus, tum luxus maximus esse uideatur. Hac etiam causâ homines, quos musicæ moduli nō delectant, agrestes sunt, & ferī: unde natum etiā adagium, ut *ἀγαθὰ* uocarentur: qui musis non delectantur, atque ideo ingrati, ac planè rustici: unde apud Aristophanem, cū pessimè moratus uir introducat, fingitur respondere:

*Ἄλλ' ὦ γὰρ ἔδδ' μουσικὴν ἐπίστανται.*

*Imò nec ipsam musicam noui ὦ bone.*

Agreste nimium est, musicam non nouisse: uerūm ferinum prorsus, illa non delectari: quādoquidem ueteres non solūm qui non delectarētur, sed & qui ignorarent, illa contumelia notauerint. Cum que hoc ita sit, nec maius quicquam diligentia, uel sapientia in opifice testimonium requiras ad humani corporis constructionem, (quod Galenus admirans, hymnū, seu laudem Deo præcinit) Cur tamē est, quod tam pauci eam cōpositionis absolutionē assequantur, exactamq; symmetriā: nam uix inter multa millia hominū unus talis inuenitur: an non hoc materia ipsa reluctantē euenit: Quid igitur mirum, si hæc tātum potest, ut sapientiā illā primā, illā omnimodā potestātē uincat cōtumacia sua, etiam animū nostrum, qui et si sit immortalis, multò tamen à prima causa degenerat, possit deflectere, ac superare

superare: Eam uerò felicitatem Alexandri (ne quid intactū ex illo relinquam) quòd extra limites exeat rationis, nemo uel obolo, qui sapiat, æstimet: quandoquidem quid hoc ad perfectionem uniuersi pertineat, non ostendit. Nulla autem prorsus res naturalis suo fine maxima ex parte frustratur. quod cum uideamus tam paucos ex innumeris illam assequi felicitatem animi, quod & ipse faterur, non erit illa finis humanæ generationis: quorsum igitur hæc moles mortalium? hic hominum perpetuus cœtus: an ut tantum nascatur, doleat, fruges consumat, & moriatur? Indigna hæc maximi philosophi sententia prorsus, sed multo diuina sapientia indigniora. Quamobrem cum aduentitia hæc omnia potius immortalitatem attestentur, illa prætermittamus, & ad solidam philosophorum sententiam, tum rationes ualidissimas ueniamus, atq; in altero consensum, & differentiam, tum etiam cum legibus ipsis in altero pondus argumentorum utriusq; partis pensitemus. Quod ad inconuenientium rationem pertinet, quæ ex utraq; sequuntur opinione, illud unum dictum sit, ad religionem, immortalitatisq; fidem plurima in reipublicæ administratione inconuenientia necessario sequi: at immortalitate non supposita, omniq; diuino abrogato cultu, nullo modo mortales uiuere posse, nec ullum societatis genus inire, sed uelut Horatius de prima illa hominum origine fabulatur,

*Cum proreperunt primis animalia terris,  
Mutum, & turpe pecus, glandæ atq; cubilia propter,  
Vnguibus, & pugnis, de in sustibus, atq; ita porro*

d 5 Pugna

*Pugnabant armis, quæ post fabricauerat usus.*

Sic fiet in neglecto religionis cultu: nam testis ipse est Thucydides, uir grauis, ante coactam à Theseo gentem in Athenarum ciuitatem, homines latrocinij uixisse: at cùm primùm in unum conuenerūt, religionis prima cura fuit. Non igitur sine religione urbes, nec sine urbibus quies ulla humano generi, uel sine opinione immortalitatis animorum religio esse potest. Sed hæc cùm extra propositum sint, satis duxi, ne à quoquam mihi obijci possent: nunc ad reliqua transeundum est, quæ ex rationibus firmissimis colliguntur.

*Sententiæ Antiquorum de Anima.*

XIII. **E**Rgò immortalem fuisse animum, ab initio ferme rerum humanarum, magno, ac perpetuo consensu, ac mira omnium concordia ad nos usq; peruenit. Nam Themistius post longam de intellectu disceptationem scripsit,

Ὁ πὶ δὲ μάλιστα αὐτὸς ἐξ ὧν συνηγάγομεν ῥήσεων λαβὼι τὴν περὶ τούτων γνώστω Ἀριστοτέλης καὶ Θεοφράστου, μάλιστα δὲ ἴσος καὶ αὐτοῦ Πλάτωνος, τὸν οὐκ ἀποχρησίου ἴσος ἀναχρησίου.

Quod autem præcipuè ex his colligendo dicta, sententiam Aristotelis ac Theophrasti, magis autem fortassis et Platonis licet intelligere, per ea quæ adduximus, asseruamus.

Quasi horum trium una foret sententia, quod & alibi manifestum est, dum Platonis opinionem Aristotelis sententiæ comparat; nam de Theophrasto

fito, quòd à magistro dissentire noluerit, haud dubitandum est: igitur subiicit Themistius:

Ἦ ὁ μὲν πρῶτος ἐλάμπων εἷς, οἱ δὲ ἐλαμπόμενοι καὶ ἐλάμποντες πλείους, ὡσαύτε τὸ φῶς ὁ μὲν γὰρ ἥλιος εἷς τὸ δὲ φῶς εἴ ποτε ἀνθρώπων πινὰ μερίζεται εἰς τὰς ὄψεις. διὰ τῶο γὰρ ὃ τὸν ἥλιον παραβέβληκεν, ἀλλὰ τὸ φῶς πλάττει τὸν ἥλιον.

Id. est: Vel primum quidem illuminans unum, illuminati uerò, atq; illuminantes multi, quemadmodum est lux: nam Sol unus est, lux autem quodammodo sua per partes in diuersos hominum obtutus dispartitur: propter hoc non Soli, sed luci (supple intellectus) comparandus est, Plato autem Soli.

Ecce quàm parum putat interesse inter opinionem Platonis atq; Aristotelis Themistius. Sed iam hoc est præludium, namq; sensim ad id, quod proposueramus, demonstrandum descendere in animo est, cùm Simplicium prius audierimus: is enim hæc habet,

Ἐπισῆσαι ἄξιον τῶ παντὶ λόγῳ, θαρρόων τὸν ὑπόσταν τῆς ψυχῆς νῶν, ἀθάνατον καὶ αἰδίου ἀποφάνεται ἵνα καὶ ταύτη, τὴν πρὸς Πλάτωνα αὐτῶ συμφωνίαν ἅμα θαυμάσωμεν.

Quod est: Dignum scitu est, hoc toto in sermone de substantia ipsius animæ haud dubie, quòd mens incorruptibilis sit, atq; immortalis declarari, uelut est apud Platonem miro consensu etiam uidemus.

Sed ne in incertum pro uocibus Græcis euagemur, habet Aristoteles, cuius auctoritati penè quantum rationibus deferimus, hæc nomina Δυνάμει, intel



intellectum potentiae quasi ποιητικός, seu αἰτιος qui  
& agens, Alexander adeptum etiam hunc putat.  
κοινός ἢ φθαγτός ἢ παθητικός qui patiens, inuolucrum,  
quo quasi cingitur intellectus. Διάνοια autem co-  
gitationem esse, haud dubium est: νόον mentem vo-  
cat, νόον intelligentiam, δόξαν autem opinionem,  
πίστιν ἢ fidem: κοινός tamē etiam communis dicitur.  
Itaque ut de nominibus satis constat, quibus tamen  
uariē Aristoteles utitur, ad Philosophorum histo-  
riam redeo: est enim sub Pythagoræ nomine  
uersiculus, hic:

Ἄλλὰ σὺ θέρσει, ἐπεὶ θεῶν γένος ἐστὶ βροτοῖσιν,

Confidere nos iubet, quod mortalibus genus  
diuinum inditum sit: sed non hominibus solum  
eam tradidit mentem, quod crederet etiam belluis  
eam esse communem: nam à morte ex his in illa  
transire animas existimauit, quoniam persuasum  
esset antiquis, belluas etiam ipsas ratione pollere:  
unde referuntur ex Menandro carmina,

Ἄπαντα τὰ ζῶα, ἐστὶ μακροειώτατα

καὶ νόον ἔχοντα, μάλλον ἀνθρώπων πολὺ.

*Omnia animalia beatissima sunt, & mentem habentia, hominibus multo magis.*

Vnde etiam Plutarchus dialogum instituit, in  
quo Ulysses ille facundissimus, cum exiguo collo-  
quitur animali, quasi mentem etiam ei inesse præ-  
sentiret. Sed & Trimegistus, quasi ter magnus, seu  
quod Rex, Sacerdos esset, ac Philosophus: seu  
quod eo numero, quem Aristoteles perfectum  
nuncupat, sapientiae absolutae esse decerneretur:

seu

feu ante Pythagoram, feu post floruerit, dicebat:

Ὁ νῦν ἐν ἡμῖν ἐστὶν ἀποτετμημένον ἐσιότητος  
τῷ θεῷ, ἀλλ' ὡσπερ ἠπλωμένον καθάπερ τὸ τῷ  
ἡλίῳ φῶς.

*Mens igitur (dicit) non est pars diuinæ substantiæ,  
sed uelut lux solis ab illa explicata.*

Sunt qui credant, Pherecydem illum Syrum, Pythagoræ discipulum, Philosophum admirandum, primum extitisse, qui ausus sit de animi immortalitate disputare, cum antea cæteri potius assentirentur, aut affirmarent, quàm defendere rem auderent: ob hoc fuisse publicè interdictum, ne quis de animorum immortalitate uerba faceret. Verùm cum is diuinus propè haberetur, primò ei permissum: inde licentia per uagata. Itaque ut ad ordinem reuertar, idem Trimegistus ante illum de nouò dicebat:

Ἄνθρώπος διπλῆς διὰ τὸ σῶμα θνητῆς, ἀθάνατος δὲ διὰ ψυχῆν, τῷ ἐσιώδῃ ἀνθρώπων.

*Idest, Homo duplex, nam parte corporea mortalis,  
animo immortalis, qui hominis ipsius substantia est.*

Ergo post ipsum & Anaxagoras (hic Pherecydis ætate fuit) cum ille Pittaci esset auditor, qui unus fuit è septem sapientibus: at Anaxagoras Anaximenis, qui Pythagoræ coætaneus erat. At Pythagoras septem sapientibus paulò fuit posterior, & ipse quasi ab illorum ætate originem ducens, Aristotele referente dicebat:

πολλὰ κὼ μὴ γὰρ αἴτιον τὸ τῷ κελεύει καὶ ὁρθῶς  
τοῦ

τὸν νόον λέγει. ἑτέρωθεν δὲ τὸν νόον εἶναι τὸν αὐτὸν τῆ  
 ψυχῆ ἐν ἅπασιν γὰρ ὑπάρχειν ἅνθρωποις ζώοις.

Iacst: Sæpius enim mentem boni, atq; recti causam  
 esse dixit, alibi uerò animam ipsam esse mentem, nam  
 animalibus omnibus illam inesse ait.

Inde inferius de mēte sic habet, de anima primo,

Μόνου γὰρ φησὶν αὐτὸ τῶν ὄντων ἀπλῶς εἶναι  
 καὶ ἀμυγῆ καὶ καθαρόν. ἀποδίδωσι δὲ ἀμφὸ τῆ  
 αὐτῆ ἀρχῆ, τὸ, τε γινώσκειν καὶ τὸ κινεῖν, λεγὼν νόον  
 κινῆσαι τὸ πᾶν.

Quasi dicat: Solam nanq; omnium rerum existentium  
 dicit simplicem & immixtam, ac puram esse, illi ambo  
 hæc tribuens principio, cognitionem scilicet, atq; mo-  
 tum, dicens uniuersum hoc à mente ipsa moueri.

Ergo Anaxagoras hæc: post illum illico & De-  
 mocritus, nam paulò iunior hic extitit Anaxago-  
 ra, in eadem sententia fuisse uidetur, cum dixit:

Ἐκείνῳ μὲν γὰρ ἀπλῶς ταυτὴν τὴν ψυχὴν καὶ  
 τὸν νόον. τὸ γὰρ ἀληθῶς εἶναι τὸ φαινόμενον. διὸ κα-  
 λῶς ποιεῖσαι τὸν Ὅμηρον ὡς Ἐκτωρ κείτ' ἀλλο-  
 φρονέων.

Quod est: Ille enim simpliciter eandem mentem, atq;  
 animam, nam uerum esse existimauit, quod apparet: Pro-  
 pterea Homerum pulchrè dixisse inquit, iacere Hæctora  
 alia sapientem.

Ergo non in sepulchris habitauit, ut ostenderet  
 extinctos fuisse animos, sed quòd crederet cum Py-  
 thagora ex hoc in illud eos commigrare animal.  
 Successit his Alcmeon, & hic dicens explicatius.

Φησὶ γὰρ αὐτὴν ἀθάνατον εἶναι διὰ τὸ εὐκείναι  
 τοῖς

ἡς ἀθανάτοις. τὸ δὲ ὑπάρχει αὐτῆ, ὡς αἰὲ κινε-  
μένη. κινεῖσθαι δὲ καὶ τὰ θεῖα ἀπαντα συνεχῶς αἰεὶ,  
σπλήνη, ἥλιος, ἀστέραι, καὶ τὸν ὕραν ὅλον.

*Est autem hoc: Dicit enim eam immortalem esse, quòd  
immortalibus similis sit: hoc autem ipsi competere, quo-  
niam semper mouetur: mouentur enim omnia diuina con-  
tinuò, semperq; Luna, Sol, astra, & cælum totum.*

Sed uix hæc sententia exactè Latinè transferri potest, ut integrum sensum retineat. Manifestum est igitur, hos Philosophos sensim ad immortalitatis non solùm opinionem, sed & ad modum, quoniam pacto tueri posset, descendisse: donec Plato clarius, inde Aristoteles rem tractauerunt. Sed antequàm ad illos accedamus, meritò quis forsàn dubitabit, quorsum hæc tractatio tendat: aut quàm nam utilitatem præstet: nam ijs, qui fide immortalitatem credunt, prorsus superflua est, ac etiam damnosa, fidei scilicet meritum auferens: alijs uerò, qui hanc non sunt consecuti gratiam, præstat sic tamen credere, Ciceronis argumento, Nam si à morte nihil superest, coargui tamen non potes: nec qui animum mortalem dicit, laudari. Sed si superfit, credenti quidem non exigua laus est, præuidisse: neganti uerò dedecus maximum imminet: tutò igitur quisq; hoc debet affirmare.

Verùm non aliter mihi uidentur hi nobis consulere, quàm uiatoribus latrones, qui ut in eos inciderint, iubent arma deponere, ex equo descendere, atq; sic non arma solùm, & equum, ac pecunias, sed uitam etiam eripiunt. Mentis oculus nobis datus est, ut cognoscere, atq; intel-  
ligere



ligere possimus, ac hæsitantes in fide confirmare, retrahereq; periclitantes. Dulcis res est ueritas, etiam si nostro desiderio aduersaretur. Nonne matres nuntios sciscitantur ex bello reuertentes de filiorum fortuna, etiam si existiment illos cecidisse? at cur non illis dicas, uiuos emisistis, cur quærere uultis? Sed nemo horum, qui uel anxie quærunt rationes naturalium rerum, malus est, uerum qui credere simulat: etenim & illud simile his euenit, qui terriculamentis, umbris, ac spectris detinentur, horum enim miserrima uita est, timere quod nescias; alij supra modum audaces, tanquam nullibi pœnas daturi scelera admittunt. Ergo dulcissima res ueritas, atq; iocundissima, quam si forsan tenerent multi, pauci mala admitterent. Quem tu sensum immortalitatis animorum his esse putas, qui sponte, & aduersus etiam maiorum instituta, tot hominum infontium capita inferis deuouerunt? Non parui est momenti intellexisse, quid nobis à morte futurum sit, cum religioni semper locus suus relinquatur.

X I I I I.  
1. ad Corint. 15

Plures argumento beati Pauli mouentur, est autem tale: Quod indignum hoc, uideretur diuinâ iustitia: cum homo, si animus mortalis ponatur, omni bellua esset infelicio: nascitur, aliturq; per annum in immundo stercore, cum cætera animalia pura degant: inde quot conatus, quot labores, ut ambulare discat, cum cætera animantia sponte eant: puer traditur magistro, ibi illius conditio miserrima, timere, discere, uapulare ab eo, qui insanit, ob studium, ob iram, ob laborem:

Adole-

Adolescens efficitur, quàm breuis est illa ætas, quæ si effrænis duriores nanciscitur parentes, traditur exercitationi, uel militiæ, uel arti, uel studijs: quàm immēsi ibi labores: quā dura cōditio: adde quot in ea pericula à coætaneis: nulla enim ætas incontinentior. Subit Iuuentus, eam exercēt curæ, labores, certamina, pericula uicissim: inde Senectus homini tristis ima, soli illi dentes penè cadūt, incuruatur, uix potest se sustinere, quòd duos tantum habens pedes, alis careat, rugæ, & cani, & oris foetor: omnia hæc soli homini senescēti priuilegia, ob quæ despicitur, irridetur, reijcitur: solus inermis nascitur, solus natandi expers, ad frigora, & calorem omnium animantium impatiens maxime, ad omne discrimen inualidum, cum reliqua corium, aut etiam cum illo pili tueantur: ille solus cum senex est, mortem propè adesse nouit: cum iuuenis, quocunq; momento imminere. Quæ nam igitur cœlestium diuorum inuidia, hominem creasse, si propter hoc æuum tantum gignitur? Ad hæc quid dicit Alexander? Neminem, ille inquiet, uel sic tamen uelle cum boue, uel asino, uices commutare, tanta est dulcedo sapientiæ: tum uerò in uno quoq; genere omnia ob perfectissima esse: nam tales sunt reges, ac diuites, qui sapientia pollent: quis enim adeò excors est, ut malit se belluam, quàm regem, præcipuè eruditum: nam eorum uita, dum uiuunt, Deorum beatitati parum uideretur abfimilis. Superaddidisse uerò in omnibus etiam naturam homini maiores uoluptates, solus harmoniam sentit, solus uarietatem picturæ cognoscit, so

mmmm

e lus

lus odores, ac sapores iucundos rerum, quæ minimè esui parantur percipit: in uenere maiore fruitur uoluptate, uita longiore potitur: periculo opponat obliuionem, uel fortitudinem: qualicumq; fato percat, satis est hominem fuisse, non belluam: imitetur Thaletem, hic gratias agebat Deo, quòd hominem, non belluam eum fecisset. Quid etiam, & si deterior sit hominis conditio, habet homo, quod queratur: nam ipso uel Paulo teste, non iure conqueri potest aduersus figulum uas, etsi ad turpes usus illud effinxerit. At uerò illud planè certum est, uel regibus ipsis Elephâtes, ceruos, ac cornices, aquilasq; esse feliciores, si animi tollatur immortalitas: nam & diutius uiuunt, & minore cum periculo longè, & nulla cum suspitione multis in regionibus uagantur. Illud tantùm me torquet, quòd eadem ratio etiam querelæ leporibus relinquatur, ac pecudibus: infantia enim, & immortalitatis animi expertia, parum uiuunt, cum aquilæ omnibus infestæ, longiore uita multò fruuntur: ob hoc existimo Platonem etiam belluis animorum immortalitatè concessisse. At homo ratione ac deliberatione hæc facit, cum cætera animalia natura ferantur. Quomodo igitur fieri potest, dicebat Paulus, ut si Deus habeat prouidentiam, qui iustè, sanctè, pietèq; inter ærumnas uixerunt Dei contemplatione, cum aliàs beatam, ac iucundam uitam agere potuissent, ut hac spe, hoc merito munere frustrentur? Nam quantum ad hanc pertinet uitam, tantùm qui optimè uiuunt, ac religiosissimè, miserissimi  
aut  
omnium

omnium sunt mortalium. Hæc ratio Dei prouidentiam docet, quam Alexander & si neget, nos tamē longè certiorē animi immortalitatem esse ducimus, etiam dico de singularibus: quare Pauli ratio ex nobis notioribus deducitur. Quod & si cum Aristotele aliqui longè facilius animorum immortalitatem, quàm huiuscemodi prouidentiam tueri se posse sperent, non tamen hoc illis concedendum: quod à nobis tamen aliàs cum sit ostensum, hîc iam prætermittetur. Sed nec magis animi immortalitatem ostendit diuinatio, quam diximus per somnium: nam si animus natura diuinus est, nobis dormientibus melius intelliget, externo sensibili quiescente; nec enim turbabitur, uel impiedietur. Quiescunt autem sensus non toti, sed magna ex parte ( ut Galenus dicebat ) in libello de Odoratus instrumento: huius indicium est, quod uocati expergiscimur: nam si nihil audiremus dormientes, uocibus exclamationum non excitaremur: solus oculus ex toto functione priuatur, non per se quidem, sed obducta palpebra, quæ illi ad munimen, quod expositus esset, fuit necessaria. Ergo cur non intelligit multò melius per somnum animus? quoniam etiam interiores sensus sunt hebetiores, ipse uerò dum corpori immiscetur, ab illo excitatur. Porro per somnum alligata est omnium ratio: nam imaginari contingit dormientibus, discurrere, & uti intellectu multo minùs: non igitur diuinatio per somnum ab animo procedit collimante, seu mortalis sit, seu immortalis, sed quod-



dam accedere extrinsecus est necessarium, quod ideo per somnum facilius sentitur, quia animus exterioribus causis minus est impeditus.

55 At longe difficilius esse uidetur, quod in oppositum adduci potest: Si enim nulla est operatio propria animæ, non contingit eam separari: at manifestum est, eam non dari: quæcumq; enim sit illa, cum animus supponatur immortalis, postquam ea potiri contigerit, non fatigabitur, laboris enim expertia sunt æterna: non igitur animus noster in ea fatigatur. At uerò compertum cuiq; est, in omni intellectu, ac cognitione nos fatigari, imò non secus, ac in uisione: ex fixo enim intuitu magis oculus patitur, quàm in uarietate, quæ ob uoluptatem laborem minuit. Sic intellectus plus laborat in adeptaiam cognitione, si diutius ei institerit, quàm in permutatione: quamquam permutatio ipsa auxiliij corporei expertus non sit. Quid igitur uoluit Philosophus, cum dixit:

3. De anima  
cap. 4.

Ὅτι δ' ἐκ ὁμοία ἢ ἀπάθεια τὸ αἰσθητικὸν, καὶ τὸ νοητικὸν, φανερόν ἐστι τῶν αἰσθητικῶν, καὶ τῆς αἰσθητικῆς ἢ μὴ γὰρ αἰσθητικὸν δύναται αἰσθάνεσθαι ἐκ τῶ σφόδρα αἰσθητικῶν οἷον ψόφου ἐκ τῶν μεγάλων ψόφων, ὅδ' ἐκ τῶν ἰσχυρῶν χρωμάτων καὶ ὁσμῶν, ὅτε ὄραμ' ὅτε ὁσμᾶσαι, ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν τι νοήσει σφόδρα νοητικόν, ὃ ἢ ἴσῃ νοεῖ τὰ ὑποδέεστερα, ἀλλὰ καὶ μάλλον. τὸ μὴ γὰρ αἰσθητικὸν ἐκ ἀνδρὸ σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός.

Hoc autem est Latine: Quod autem non similis est

est non patiendi facultas sensui, ac intellectui, patet in sensuum instrumentis, atq; in ipso sensu: namq; sensus non potest sentire post uehementia sensibilia: nam nec à uehementi sono sonum, nec ex colore, aut odore forti uidere, aut odorari potest. Sed mens quando uehemens intellexerit ens, ac diuinum, non minus inferiora intelligit, sed magis. nam sensitiuum sine corpore non est, mens autem separabilis. Hæc ille.

Sed nunquid omnium sensus animalium ab excellenti corrumpuntur sensibili: nam oculi aquilarum in Sole non conuiuent, & carniuoræ aues pleræq; tū etiam aliæ Solem absq; offensa intuentur, num illorum animi ob hoc erunt separabiles? Sed an sensus ipse corrūpitur, quem etiam negat fenescere? an potius instrumentum: uel, cur ratio hæc illi erit absimilis: tactus ex toto corrumpitur à uehementi sensibili, oculus autem solum fit debilior, ergò oculi uirtus ab instrumento separari potest: Si igitur hoc solum concluditur, quod minus sit immixtus: fatebor, inquam, & intellectum sensu minus immixtum fore. An forsan hoc concludit solum, qd sensus & corpori sit immixtus, & ex eo ortum habeat: intellectus autem & si à corpore exoriat, operatiōe separari potest, quoniam ex ijs, quæ iam separata sunt, procedit: nam imagines rerum imaginatione à sensibilibus abstractas, atq; seiunctas contemplatur: at non idem de imaginatione & intellectu practico concludit. Itaq; si ob hoc tantum intellectus immortalis censetur, quod à uehementi obiecto perficitur, non alius immortalitatis modus tribuendus illi erit,

e 3 quam

quàm uniuersalibus formis, quæ solùm per intellectum consistunt, intellectus autem in habitu non solùm perfici non uidetur, sed ad reliqua redditur  
 x v. occupatus, ac segnis. Ergo quod ad laborem, aut senectutem pertinet, nihil dignum uera habemus immortalitate: quòd enim dicat Philosophus in primo de anima,

Ὁ δὲ νῦν ἔοικεν ἐγγίνεσθαι ὅσα τις ἔχει καὶ ἐφθάρειν, μάλιστα γὰρ ἐφθείρεται ἂν ὑπὸ τῆς ἐν τῷ γήρα αμαυρώσεως, νυνὶ δ' ὡσαύτως ἐπὶ τῶν αἰσθητικῶν συμβαίνει, γὰρ εἰ λάβοι ὁ περισβύτης ὄμμα ποντί, βλέπει ἂν ὡσαύτως καὶ ὁ νέος ὡς τὸ γῆρας, ἢ τῷ τῆς ψυχῆς πεπονθέναι, πᾶσι δ' ἐν ᾧ καθαπερὸν ὀφθαλμοῖς καὶ νόσοις καὶ τῷ νοῦν δὲ καὶ τῷ θεωρεῖν μαρμαίνονται, ἄλλοι τινὲς ἔσω φθειρομένοις αὐτὸ δὲ ἀπαιεῖσιν.

Hoc est: Intellectus autem uidetur aduenire substantia quedam existens & non corrumpi: præcipue enim corrumperetur in ea quæ fit in senectute obfuscatione: nunc autem quemadmodum in sensitiuo accidit, si enim accipiat senex oculum talem, uidebit uelut & iuuenis, unde senectus non ex eo quòd anima quicquam passa sit, sed qui a id, in quo est, quemadmodum in ebrietatibus, & in morbis, & ipsum intelligere quidem, ac contemplari marcescit, alio quodam interius corrupto, ipsum autem detrimenti expers.

His locis Aristoteles uoluit argumentis respondere famosissimis, quorum unum erat, ut dictum est, Epicureorum, Senescit intellectus, prout & reliqua omnia nostra, A' maiori redarguit Philosophus

plus hoc, nam quantum est hac ratione, ne sensus quidem ipse marcescit, nedū intellectus. Quamobrem si ob eam causam interire intellectus credatur, nō solum hic, sed etiam sensus interitus expers erit. Sed per hanc rationem animi immortalitatē non tamen nititur astruere: clarum est enim, non solum quia hic locus non est, sed quia de omni anima sensitiua concluderet. Sufficit igitur Philosopho declarasse rationem, non ostendere. At quoniam facillimè quisquam propter hoc existimare poterat, etiam intellectum interire, uelut & animam, inter sensum & intellectum differentiam postmodum adiecit: similiter quia hoc nouum erat, sensum ab intellectu differre, cum ambo cōprehendant, ambo quoquo modo à materia sint separati, ut omnes ante eum, etiam Plato, aut ambos dixerint esse corruptioni obnoxios, aut immortales: subiecit differentiam ut ex animæ sensitiuæ interitu intellectuam mori nō credamus necessarium: nā sensus adeo est corpori immersus, ut à maxime sensibili lædatur: nō sic intellectus, quia ex uno in reliquū trāsire nō licet: quāquam hoc nō sit argumentū immortalitatis animorū, neq; enim ratio ipsa (ut diximus) ostēdebat de agēte intellectu, sed de patiente tantum, qui nō uerè est immortalis, cum sit actus ipse intelligēdi. Sed nec argumētū pro Alexādrī opinione probat: nā sensus ut duplex est, sic & intellectus, ut ipse Alexāder fatetur: dū enim recipit, patiēs est: dū sentit, agēs: sic & intellectus. At uerò dū agit, recipit dū recipit, formas rerū contēplatur, actioq; sua ab omni corporis uī absoluitur; ac patientē præsū-



ponit intellectū, hic autē corruptibilis est, ut etiam  
Simplicius ait, ea exponēs uerba Philosophi (ὁ μὴ-  
μονὸς μὴ διὰ τὸ πρὸς τὸ ἀκαθόν) seu nō reminiscitur au-  
tem: quod interpretatur rectē, nō uerē corrūpi, sed  
agenti iterū uniri; uelut si in sensibilibus nauta mo-  
ueatur à nauī, desinat autem mouere etiam nauim,  
simul desinet & nauta esse, & motu nauis moueri,  
hoc autem nulla facta iactura in nauta: igitur ad  
patientem intellectum necessariæ sunt imagines,  
hæ uerò à corpore prodeunt, sensui autem accedūt  
exterius: quare & si intellectus minimè patiatur, &  
sensus corruptioni obnoxius sit, longè tamen plus  
corpus in intelligendo, quàm in sentiendo debilita-  
tur, quoniam mouens causa in corpore est dum in-  
telligit, actiueq; uis corporea concurrat: sentiendi  
principium ab extra est, & sensus passiuè concu-  
rens minus affligit: quòd uerò actiue operatur, sine  
motu omnino agit: ob id plus intelligendo, quàm  
sentiendo patimur. Forsan & illud dubitatione di-  
gnum est: An, quod sentire Galenus uidetur, ani-  
mus ex æthere sit; utq; æter purior sit ignis, qui  
Lunæ ad intra celo tãgitur, & cõtinetur, ut tertio  
Pronosticorū de æthere loquēs, ac mūdi ornatu, iu-  
xta initiū sentire uidetur, sit ita: nūquid respõden-  
dū est ad Philosophos illos antiquos, qui aquā uel  
ignē ponebāt animā. Deinde, quid habet æther ut  
sit splēdidus, cum sit tantūm lumini peruius? & si  
ignis est, quorsum ætherē appellauit: si nō est, nun-  
quid datur quintū elemētū; deinde, cur tā leue exi-  
stēs hic manet; & quis illum huc aduocat; & si hic  
manet, cur non ignis potius, ut reliqua tota ignis  
materia

materia, quàm æter est appellandus: Mitto omnia Aristotelis fundamenta primò de Anima scripta: Sed audèrior fuit in his, quid mirū? cū in eis etiā, quæ sensui subiacent, multa mentitus sit, cū liceret ea uidere, uel saltem silentio prætermittere: uir fanè ingeniosus, & eruditus, ac qui maximam utilitatem medicinæ adiecerit: sed tamen ad eò gloriæ cupidus, ut multa cōscripserit, quæ cum illi explorata non essent, refelli tamen non posse sperabat: & tamen hīc nouo commento gloriam spernere gloriatus est, ut nec hoc cumulo deesset: quandoquidē etiam sine titulo libros omnes edidisse sui nominis affirmat: & tamen librū, in quo & omnia, quæ conscripsit, nulla alia utilitate seorsum commemorat, edidit, ac forsan etiam quædam est ementitus. Doleo occasionem datam mihi de principe medicorum maledicendi, cū in cæteris sim illius non parū studiosus: sed tamen ille nos impulit, qui suos fines transgressus, in quibusdam ridiculum se præbuit. Quis non rideat iactantem Geometriam, atque Arithmeticam: deinde pusillis quæstionibus ad eò implicitum, ut ferme nec illarum elementa satis benè tenere uideatur. Quis hæc in Aristotele, uel Auerroë, uel Auicena arguat: Quamuis Aristoteles maximus fuerit geometra, Auicena maximus philosophus, Auerroës medicus non uulgaris: omnes tamen ab aliarum disciplinarum professione abstinerunt: & quanquam gloriæ essent studiosissimi, nihilominus iactantiam effugerunt. Galenum amamus, colimus, uitam illius ad eò diligenter scribēdo studiosè sumus prosequuti, ut nullum

mortalem ei, illum fermè cunctis eruditis prætulimus: & quamuis hac in parte ob ueritatem, quæ nobis magis etiã quàm ille amica est, ab eo dissentiamus, nullus tamen ardentiore uoluntate illum, quantum per uires licuit, extulit. Sed cùm adeò cupidum illū gloriæ, ambitionis, inaniscq; auræ properantem aliqua perperam scribere uidemus, quæ multis ob autoritatē iacturæ esse possunt, necessarium duximus, omnes admonendos, ut tantū cuique credant, quantum ratio ipsa coegerit: nec sufficiat illis dixisse, Aristoteles dixit, uel Plato, aut Archimedes, uel Ptolomæus, aut Galenus: sed uires argumētorum pensitent: quod & in nostris placitis, si aliqua unquam futura est nobis autoritas, nō solum libenter permittimus, sed requirimus. Quis non illius inconstantiam, aut nugacitatem admiratur? cùm toties de eadem re, nec unquã aut clarè, aut plenè, aut saltem constanter scripserit. Quoties in eundem lapidem impegit? Nam & in libro de Tremore & rigore inquit, Ex Hippocratis placitis est, calidum innatum primum esse animalis, & generis principium: atque nihil aliud esse naturam ipsam aut animam, ut essentiam semper mouētem, semperq; mobilem existimās, non erres. Priuatim autē hæc omnia sunt examinata, & alibi disci possunt. At quantum nunc interfit propter sermonis seriem quæruntur. Qua enim mobilis semper est innatus calor, nō intra tantū, extrāue mouetur, sed alius alium excipit motum semper: nam intra firmus, immobilis ocyus euadat, extrorsum dissipatur, ac periret: modicè uerò auctus ac succensus

perpe

perpetuò mouetur. Succēditur autē ad ima lapsus, quo alatur appetens: at expansus & auctus affatim ferme extinguitur. Quòd autem extrorsum exeat, & ut sic dicā explicetur, à principio proprio, quia calidum erat obtinuit. Interiorem autem, & infirmum locum possidet, quia frigoris sit particeps. Quandoquidem ex calido ac frigido mixtum existit. Hæc inquam Galeni anima est, qua ille maxime dignus extitit. Rursus uerò in secūdo de Locis affectis prope finem: Si quidem anima est forma in corpore existens, uelut nos in domo aliqua, forsan nullam ei noxam inferri merito illi posse putaremus: at si à corpore inseparabilis est, eam lædi non inficiabimur, ob corporis noxam suscipientis. Porro quòd lædatur, ab ipsa experientia discere licet. Etenim ubi fracto capitis osi, terebra adacta est, si quis uehementius comprimat, protinus sensum omnem amittit laborans. Sed audi iterum illum in tertio de Locis hæc scribentē, super uerba illa Hippocratis sexto de Morbis uulgaribus ( Si enim morbus in corpus repit, Epileptici fiunt: si in mentem, melancholici) Altera uerò Hippocratici sermonis pars non exiguum contemplandi locum desiderat: quippe cum anima sit temperamentum primarum qualitatum, aut ab ipsarum temperamento permutetur. In secūdo uerò de Symptomatum causis nō procul à fine inquit: Ipsius nāq; animæ substātiā uel alio quouis opere definisse fortasse sit audacia: in eo uerò quod nunc proponitur, non audacia solū, sed etiam superuacuum. Videtur tamen quæcunque ea fuerit duorum alterum,  
uel



uel primis ad omnem actionem instrumentis sanguine, calore, ac spiritu uti, uel in his ipsis esse. Licet autem ipsius motus contemplari, tam in alijs multis, sed precipue in ipsis perturbationibus. Hic porro indiscussum relinquit profecto quod sepius iam determinauerat. Sed & in quinto de Simplicium medicamentorum facultate, ubi de pus mouentibus tractat, inquit: At Stoici nunc ipsum spiritum animæ substantiam existimant esse. Nos autem non admodum quippiam de animæ substantia nunc pronuntiare audemus, & ad præsens superuacuum arbitramur. Quãquam nos ante iam spiritum innatum, etiam si non sit animæ substantia, saltem illius instrumentum primum, in commentarijs de Hippocratis & Platonis placitis ostendimus. At inde Formatione fœtus, longè fermè secus, cum in fine dixit, sentire uisus est: Sed de his peculiariter in quodam libro à nobis scriptum est, ubi ea quæ à Chrysippo in libris de Anima dicuntur consideramus: atque in altero, in quo ea referimus, in quibus Platonum de anima agit, sibi uidetur contradicere. Cæterum ut iam dixi, cum nullam inueniam opinionem, scientiam efficiente demonstratione confirmatam, fateor me de animæ substantia dubitare: nec habere probabile aliquid quod asseram: fateor & nihilominus de formatrice causa fœtuum ambigere. Iam ergo quoties demonstrauit quod demonstrare omnino iam se posse negat. Simile fermè est quod scribitur in libello de motibus manifestis, & si non pauci illum Galeni esse negent, cum dixit: Inquirere autem de animæ substantia an sit corporea, neque

neque cesset quando corpori aliquid accidit, quin animalis uirtus afficiatur: aut sit potius cōiunctum aliquid corpori adueniens, aut uis aliqua feminis, cui cū corpus gignitur, qualitates eius cōueniāt: illis relinquo, qui se demonstrare posse hoc persuadent. Num forsā imitatur Hippocratē ille enim, seu qualiscūque fuit autor, in initio libri de Carnibus: prolapsam è cœlo refert. At in alio libro de Nutritione, qui uigesimus septimus habetur, igne & aqua immixtum corpus ingredi animam affirmat: consumpto autem humido, non secus, atque ignem fomentis exhaustis euanescere. O' quàm rectè dixit Auerroës, locum consequentis Galenum decepsisse: cū enim omnis ratio homini propria sit, ac rursus intellectus: rationē ideo credidit eandem esse cū intellectu. Quid igitur mirum est hallucinari Galenum: qui cū sibi ipsi nō constet, etiā in primis principijs, in ipsorum nominum interpretatione decipitur. Nonne dum præceptum in huiusmodi rebus rapitur, egregium illum, ac admirandum Platonem, quem sequi profiteretur, longè magis arguit, quàm æmulus ob gloriā illi Aristoteles: Quid, arguit: imò uituperat: illi imponēs, quòd tres in homine animas locis distinctas esse senserit, atque triplex hoc erit animal, & abscisso etiam capite, quemadmodum anguillæ, uiuet: non hoc ei Aristoteles, qui in minimis quibuscūque illum arguit, insectatur, multaq; imponit, ausus est adscribere, cū palàm foret, Platonem nō animā, sed illius uirtutes per mēbra segregasse, ut Rationalem in cerebro, Irascibilem in corde, at Voluptatis

tis uim, atque impetū in iecore: illam uerò quasi nucem tribus constare putat inuolucris, ut extimus cortex nutritionem & uoluptatem habeat, interior autem sensum atque iræ uim, ipsa medulla rationē: qua in re non solum ab eo Aristoteles non dissentit, uel illum nō oppugnat, uerū si Themistio credimus, hęc quæ in primum de Anima Aristotelis scripsit, cum illo planè consentit. Quinetiam Trapezuntius, qui Platonis quæque minima usque ad infantiā, qua tunc iam manifestè laborabat, cum librum conderet, obseruabat: hoc illi quod maximum fuisset, nō ausus est imponere, uir acutus, eruditus, Græcus, cuius nullum aliud erat propositū, quàm criminari Platonem, seu uerè, seu falsò, sed tamen apparenti flagitio, uel errore: nam cum (ut diximus) Plato non hominum tantum, sed & beluarum animam statuisset immortalem, mutuoque uel ex hominibus in illas, uel inter ipsas uicissim cōmigrare statuisset: inter hæc animalia etiam orbata reposuit Trapezuntius, uelut muscas, uermes, crabrones, cum tamen alij Platonem de perfectis tantum animalibus sensisse uelint: unde Proclus Platonis expositor, qui penè singula eius opera cōmentarijs illustrauit, super his Timei uerbis, Μη πανόμενος τε ἐν θύραις ἐστὶ κακίας πρόσωπον ὅτι κακύνουσιν καὶ τὰ δμοιώματα τῆς τοῦ πρῶτου γένεως, ἐς πάντα κινήσας αὐτὴ μεταβάλλουσι φύσιν: hæc habet,

Τὴν εἰς τὰ ἀλογα ζῶα κἀθοδὸν τῆ ψυχῶν ὁπῶς λέγεται, ζῆται εἰδῆσαι, καὶ οἱ μὲν ἀνθρώπων ὁμοιώσεις πρὸς θηρία νομίζουσι εἶναι, τὸς λεγόμενος

ζῳμικὸς θηριώδης βίος. ἔ γάρ ἐναι διωατορῶ θη-  
 ρία ζῳμικὸν ψυχῶν, ἔστιαρ λογικὴν. οἱ δὲ αὐτό-  
 θεμ ἢ ταύτω εἰς τὰ ἄλγχα συγλωρῶσι εἰσκει-  
 νεδα. καὶ γὰρ εἰν πάσας ὁμοειδῆς τὰς ψυχὰς,  
 ὡσε ἄ λῆκος καὶ παρδάλεις ἢ πνεύμονας γί-  
 γνησὶ ταύτας. ὁ δὲ ἀληθῆς λόγος, εἰσλαίνεδα  
 μὲν, εἰς θηρία φησὶ τῆ ἀνθρωπίνῃ ψυχῆν, ἔχον-  
 τα ἢ τὴν οὐκείαν ζωὴν ἄ τὴν ταύτη τῆ εἰσκει-  
 θεῖσαν ψυχῆν, οἷον ἐποχρμλῆν, ἢ τῆ πρὸς αὐ-  
 τῆν συμπαθεῖα δεδεμλῆν. καὶ τὸτο δεδεικται  
 μὲν ἡμῶν γὰ τοὺς εἰς φάσσορ σενσσίας διὰ πολ-  
 λῶν λόγων, ἄ ὅτι μόνος ὁ πρόπος ὄρος εἰς τῆ  
 εἰσκεισε.

Hec in quint o libro, quasi dicat: In rationis expertia  
 animalia transmigratio animorū quomodo fieri dicatur,  
 quari consuevit: Et quidam similitudines ad feras putant  
 esse eas uitas, quæ ferinæ appellantur: non enim fieri po-  
 test, ut substantia rationalis anima feræ fiat, Alij uerò Et  
 illinc ipsam in rationis expertia ingredi uolunt, ut quod  
 omnes animas eiusdem speciei esse credant, atq; ita eadem  
 animæ modò lupi, modò pardi, uel alterius spirantis ani-  
 malis fiunt. Verisima autem sententia est, quòd dicat, ani-  
 mam quidem humanā feras ingredi, sed nihilominus quæ  
 propriam uitam habeant, Et post ingressum non secus, ac  
 si ueheretur, ac ea de causa uincta foret, quod cū illa eis-  
 dem affectibus reddatur obnoxia. Et hoc quidem à nobis  
 in Phædri expositione longo sermone declaratum est, nec  
 id tantum, sed quòd hic solus modus ingressus esse possit.

Igitur non hic mihi præcisè de hac re agendum  
 erit, aut breuiter, sed clarè, ac copiosè: quãdoquidẽ

omni

Platonis



Platonis opinio celebris hac in causa semper fuerit, nec potissimum in tam obscura dubitatione, uel sine philosophis pertractare quicquam dilucidè: aut si philosophorum placita enumerare uelimus, diuini Platonis posthabere sententiā. Itaque Platonis mentem libet prius declarare, inde ex proprijs illam cōfirmare libris. Nunquam ille de animi immortalitate dubitare uisus est, sed quod perennis existens, uni agglutinetur à morte, uel ex bellua in belluam, aut hominem transfret, donec annus ille maximus finiretur, censuit: uerum resectam ex uno, ac denuo redituram in idem, quidam ex opinione eius fuisse putant. Vnde Auerroës in disputationibus Platoni adscribit unitatem intellectus: & Plotinus ipse dum Puteolis esset, laboraretq; in extremis, Eustochio interroganti, quid ageret; respondit,

Ἐγὼ δὲ νῦν σὲ περιθάλω, καὶ δὴ τὸ ἐν ἐμοὶ θεῖον, πρὸς τὸ, ὅτι τὸ καθόλου θεῖον ἀναγκάζω ἐπιχειρῶ.

*Ego autem nunc te expecto, & quod in me diuinum est, ad id quod in uniuerso diuinum est, redigere adnitor.*

*Hec ille.* Sed alijs plura, cum sententiam illius tractabimus, nunc ad Platonis uerba uenio. Is decimo de Republica immortalitatem animorum, & post obitum iusti, ac iniusti nō solum memoriam, sed & retributionem, facinorumq; conscientiam, tum tartari, ac cœli sedes his uerbis fermè declarauit: Equidem tibi non Alcyni apologum, sed præfatisimi uiri Eri Armenij, genere Pamphylj, referabo: qui cum occubisset in prælio, sublati decimo

cimo die cadaueribus iam corruptis, integer, ac incorrupto corpore repertus fuit, domumq; ut sepeliretur relatus: duodecima iam ab obitu die, dum pyræ impositus esset, reuixit, & quæ interim uiderat retulit: inquit igitur: Postquam anima fuisset à corpore separata, unâ cum pluribus quendam in locum dæmonum peruenisse, in quo terræ duos proximos uidit hiatus, duos etiam alios è directo in cœli regione suprâ conspexit: inter hos autē hiatus iudices sedere, qui postquā animos iudicarunt, iustos quidem ad dextrâ per cœlum ascendere iubent, in aduersa eorum parte signa quæ iudicauerint suspendentes: iniustos contrâ ad sinistram infra, omnium quæ in uita peregerant signa post tergum ferentes. Cùm uerò ad iudices ipse quoq; accessisset, illos aiebat respondisse, redire cum nuntiū ad homines eorum, quæ illic uiderat oportere: iussisseq; illum intueri, ac audire omnia, quæ in illis locis gererentur. Uiderat igitur illic per utrâque cœli, terræq; portam animas lata sententia abeuntes: per alias item duas, ex terra quidē ascendentes, animas puluere, macie, squaloreq; confectas, è cœlo autem alias nitidas descendentes: uideriq; inquit, animas undique uenientes, tanquam longa peregrinatione fatigatas, libenter in prato, quod ibi est, tanquam celebri in conuentu recūbere, ac se inuicem, quæ mutuò se cognouerint, salutare: easq; omnes, tam quæ è cœlo, quàm quæ è terra conuenissent, sese ultrò, citroq; de his, quæ in his locis uiderint, percunctari, sibiq; uicissim ad singula respondere: has quidem dolentes, ac flentes memoria malorū,

f quæ

quæ in præterito sub terris itinere, & perpeſſæ  
ſunt, & uiderunt: eſſe autem iter illud mille anno-  
rum. Illas uerò, quæ de cœlo deſcenderant, narrare  
delicias, pulchritudinisq; ingentis ſpectacula: inde  
paulo poſt, quoſcunq; alijs iniurias intuliſſe con-  
ſtaret, pœnas ſigillatim pro quolibet decies reddi-  
diſſe: id eſt, ſpacio annorum centum: quaſi hæc ui-  
tæ humanæ meta foret, ut animæ decuplam iniu-  
riæ darent pœnam. Itaque ſi qui cædis multorum  
cauſa fuerint, ciuitatesq; & exercitus prodiderint,  
uel homines in ſeruitutem egerint, uel alicuius alte-  
rius flagitiij, uel ſcleris conſciji fuerint, in his omni-  
bus pro quolibet facinore pœnas decuplas pende-  
re: atque iterum, ſi qui beneficia quædam contule-  
rint, iuſtitiamq; ac pietatem coluerint, eadem ratio-  
ne præmia reportare. De ijs uerò, qui ſtatim ut na-  
ti ſunt deceſſere, aut breue tempus uiuere, quædam  
parum memoria digna recenſebat. Erga deos au-  
tem & parentes pios uel impios, & homicidas, qui  
cæde manus proprias polluerunt, maioribus &  
præmijs, & pœnis affectos eſſe, narrabat. Inquit  
enim ſe interuiſſe, cum alium interrogaret quiſ-  
piam, ubi nam Ardieus magnus eſſet: hic autem  
in quadam Pamphiliæ ciuitate tyrānus fuerat, an-  
nis iam mille ab hōc tempore exactis, qui ſenem  
patrem, & maiorem natu fratrem occiderat: aliaq;  
plura impia ſclera perpetrauerat: interrogatumq;  
illum reſpōdiſſe: non uenit Ardieus, neque ueniet.  
O dirum ſpectaculum! dum enim egreſſuri hiatū  
petereſ, cætera omnia perpeſi illum protinus  
uidimus, alioſq; cum eo, omnes ferme tyrannos,  
inter

inter quos & priuatos nonnullos, qui magna scelera perpetrauerant, quos ascendere iam propemodum ausos, hiatus ille minimè permittebat: sed horridè mugiebat, quoties aliquis eorum, qui uel infanabiles essent, uel nondum purgati, egredi niterentur. Aderant igitur illic uiri quidam feroces aspectu, ignei, qui cum mugitum subito perpendissent, hos seorsum rapiabant, Ardieum scilicet, atque sui per similes, manibusq̄, ac pedibus, & ceruice deuinctis, prosternebant eos, excarnificabantq̄, & secus uiam ad exteriorem partem raptatos, tribulis lace- rabant, prætereuntibus indicantes, quã illi ob causam talia pateretur, quod ue in tartarum proijcendi agitaretur: ubi cum multa alia eos terrerent, hic pauor uehementissimè uexabat, cum in ascensu mugitus excitabatur, quo silente, quisque libentissimè ascendere uidebatur. Hæc ille. Cæterum quoniam pacto reuiuisceret, atque in belluarum transirent corpora, obliuiscereturq̄ præteritorum, post pauca his penè docuit uerbis. Enimuerò qui tunc redijt illinc nuntius ostendebat, hoc pacto prophetam in edicto adiecisse, si quis postremus etiam accedit, eligat modò prudenter, constanter uiuat, uita occurret expetenda non mala. Primus ne oscitanter eligat, ultimus ne desperet: cum hæc dixisset, eum, cui primò fors obuenerat, tyrannidem illico, inquit, properantem elegisse, ac propter insciam, auuditatemq̄ haud satis singula prius examinasse, & iccirco etiam illud ignorauisse, quòd in eua uita fato decretum erat, ut filios suos uoraret, aliaq̄ plurima mala sustineret: postea uerò, ubi per ocium

f 2 electam



electam uitam considerasset, eiulasse, noxiam electionem deplorantem, quod non cauisset, quæ propheta prædixerat: neque seipsum, tanquam malorum causam damnantem, sed fortunam, dæmones, reliquaque omnia potius, quàm seipsum. Deinde paulo post subiungit: Hoc quoque consideratione dignum spectaculum esse dicebat, quomodo singulæ animæ singulas uitas eligebant. Miserabile quippe istud, ridiculum, uisumque mirum, electionem secundum uitæ prioris consuetudinem siquidem ut plurimum facientes. Animam, inquit, quæ olim Orphei fuerat, uidisse cygni uitam odio muliebris generis eligentem, nolentem uidelicet ex mulieribus, à quibus occisus fuerat, nasci: Thamisiris uero Philomenæ: cygnum etiam conspexisse ad humanæ uitæ electionem conuersum, aliisque musica animalia, ut consentaneum est, similiter: quandam etiam, cum oblatae sortes essent, Leonis elegerit uitam, & hanc fuisse olim Telamonij Aiæ detestantem homines, quoties iudicij illius in mentem uenisset, quo pro armis cum Ulyssæ cõtenderat. Post hunc Agamemnonis animam propter ærumnas odio humani generis uitam aquilæ elegerit: Atalantes autem animam, cui mediâ quædam fors conrigerat, intuitam dixit, quàm maximis honoribus athleta afficiatur, athleticam uitam quin eligeret minimè se cõtineri potuisse. Animam deinde Epei Panopenis ad artificiosam protinus mulieris naturam migrasse. Longè uero inter nouissimas animam ridiculosi Therfitis simiam induisse: casu uero Ulyssæ animæ sortem ultimam cõtigisse, quocirca

circa & ad eligendum ultimam aduenisse dicebat. Præteritorum autem laborum memoria ab ambitione cessantem, diuq̄ priusquam eligeret circumueentem, quæsisse priuati hominis, minimeq̄ curiosi uitam, eamq̄ uix tandem alicubi iacentem, & ab alijs neglectam reperisse, dixisseq̄, non aliam se uitam electuram fuisse, etiam si sortem primam nacta esset, quare uitam illam libenter fuisse complexam. Ex feris item alijs in homines transire animas asserbat, & inuicem commutari: iniustas quidem in feras agrestes, iustas autem mansuetorum animalium uitam capessere: atque omnes hunc in modum confici mixtiones. Cùm uitas omnes animæ gradatim, ut fors dederat, elegissent, longo ordine ad Lachesium eas accessisse narrabat. Lachesium uerò cuique dæmonem quem cœperat quæque ipsius uitæ custodem præscripsisse: electorumq̄ operum executorem: hunc in primis ad Cloto animam ducere, & sub illius manu, reuolutioneq̄, ac uertigine fusi approbare quam sortitus fortunam elegerat. Hanc ubi tetigit, mox ad Atroponentem, quæ immutabilia stamina reddat, Illinc postea properè Necessitatis thronum adire, per quem cum transierint, omnes sub uehementi æstu in Lethæum campum proficisci, arboribus, & omnibus, quæcunque terra nascuntur, destitutum. Recumbere igitur ipsas aduentante nocte iuxta Amelitam flumen dicebat, cuius aquam uas nullum contineat, atque ipsius aquæ bibere aliquantum cuique necessarium. Eos autem qui Prudentiam ducem non habent, ultra quàm deceat bibere, semper

uerò bibentem omnium obliuisci : ubi uerò ad mediam noctem dormiuerint, subito motu, & ter ræmotu excitos, repente alium aliò sursum ad generationem confurgere, stellarum instar profi- lientes. Ergo tam longa fabula exemplum opinio- nis suæ nobis explicuit. Sed iam non alia seriò tra- ctat: nam & in Timeo dixit, Tria adhuc morta- lium genera nobis generanda restant, absque ho- rum generatione cœlum imperfectum erit, omnia enim animantium genera ambitu suo non conti- nebit: contineat autem oportet, si est mundus om- nino perfectus futurus. Hæc uerò si à me solo fiant, uitaq; donentur, Dijs adæquabuntur. Qua- propter accedite uos ad animalium generationem secundum naturam, ut uim imitemini meam, qua in ortu uestro sum usus, atque eius quidem ani- malis quod in ipsiis tale futurum est, ut cum im- mortalibus appellatione conueniat, diuinumq; uo- cetur, ac teneat principatum, & iustitiam, simul ac uos ultrò colat: ego uobis semen, & initium tra- dam, cætera uos exequimini, ut immortalis natu- ræ mortalem attextentes faciatis, generetisq; ani- malia, subministrantesq; alimenta augeatis, & con- sumpta rursus recipiatis. Hæc fans in eodem rur- sus cratere, in quo mundi animam temperauerat, superioris mixtionis reliquias perfudit, eodem mo- do miscens: non tamen similiter, sed secundo mo- do, & tertio gradu à primis deficientes. Ergo hic nō tam clarè eā docuit, quinimo quemadmodum uidebitur animorum quidem immortalitatem nō solum hominum, sed & belluarum hac lege, quæ ferme

fermè Aristotelis sententiæ fauet, docere uisus est: ut tamen cum omnes ab anima mundi decidantur, quæ proculdubio æterna est, gradus tamen diuersos assequi possint. Sed de hoc clarius, dum Aristotelis sententiam prosequemur. Forsan illud Plato uoluit, si sibi consentiens est, ut anima quidem dum in belluis est, immortalis sit, atque in homines transire post obitum possit, sed alium temperamentum accipiat: quod in Phædone etiam his quasi uerbis explicare uidetur: Ponderosum, ò amice, id putandum est, & graue, terrenumq; , ac uisibile, quod anima secum trahit, ideoq; ab eo grauiatur, & ad uisibilem trahitur locum, metu inuisibilis, atque occulti, & quemadmodum fertur circa monumenta, sepulchraq; uersatur, circaq; nonnulla apparuerunt animarum iam umbrosa phantasmata, qualia præferunt simulachra tales animæ, quæ uidelicet non purè à corpore decesserunt, sed uisibile trahentes aliquando, sic ut uideri possint.

C E B. Consentaneum est, ò Socrates. S O C. Consentaneum est, ò Cebes tamen, ne hæc animæ sint bonorum, sed malorum, quæ circa hæc oberrare coguntur, pœnas improbæ actæ uitæ dantes: itaque tandiu circunuagantur, donec cupiditate naturæ corporeæ comitante, rursus induant corpus: induunt autem, ut decens est, tales mores, quales in uita exercuerunt.

C E B. Quales dicis mores, ò Socrates? S O C. Eiusmodi: eos quidem, qui uentri dediti, per inertiam atque lasciuiam uitam egerunt, nec pensi quicquam aut pudoris habuere, decens est in asinos, ac similia, ingredi. An non putas?



C E B . Consentanea loqueris. S O C . Qui uerò iniurias, tyrannides, rapinas secuti sunt, in luporum, accipitrum, ac miluorum genera pertransire par est. Num aliò has migrare dicendum est? Ita potissimum, Cebes inquit. Similiter & in cæteris: abeunt enim in genera illa, quibus in uita mores similes contraxerunt. C E B . Manifestum id quidem. S O C . Non'ne horum felicissimi sunt & in optimum proficiscuntur locum, quicumque popularem, ciuilemque uirtutem, quam Temperantiam uocant, ac Iustitiam exercuere, absque philosophia quidem, atque mente, sed ex consuetudine, exercitationeque acquisitam? C E B . Quo nam pacto hi felicissimi sunt? S O C . Quoniam decens est, hos in tale quoddam genus iterum ciuile, miteque demigrare, quale apum, uesparum, ac formicarum, atque deinde in idem rursus genus humanum, atque modestos ex his fieri homines. C E B . Ita decet. S O C . In Deorum uerò genus nulli fas est peruenire, præter eos, qui discendi cupiditate flagrantés, & philosophati sunt, & puri penitus decesserunt. Horum quidem gratia, ô amici Cebes, atque Simmia, qui rectè philosophantur, ab omnibus corporis cupiditatibus abstinent, atque ita perseverant, nec se unquam illis tradunt, neque familiæ iacturam, paupertatemque formidant, quemadmodum multi pecuniarum cupidi: neque rursus contemptum, atque ignominiam, quemadmodum qui magistratus, & honores ambiunt. Hæc ille diffusè satis, sed tamen clarè, ut non iam de Platonis opinione dubitare fas sit: ille enim immortales animos statuit, cõmunesque

nesq; cum belluis, atq; ab una mūdi totius anima segregatos: forsitan etiam aliquando, cūm mundus totus ad perfectam reuolutionem redierit, in eandem reuerfuras, ut sic etiam cum Stoicis consentiret. Quicquid de hoc sit, à morte illas meminisse putat, numeroq; seiunctas, unāquancq; malorum, ac bonorum retributionē sentire. Ille etiam idem in Alcibiade sic Socratem cum illo loquentem inducit. s o c. Nū reperire possumus aliquid in anima diuinius illo, circa quod intelligētia, sapientiaq; uerfatur? A L c. Nequaquam, s o c. Id igitur animæ diuini simile est, in quod sanè quis intuens, & omne diuinum, Deum scilicet, & sapientiam cernens, ita & seipsum agnoscet. Alibi autem de reditu hæc habet:

Ἔis τὸ ὁμοίον αὐτῆ τὸ θεῖον ἀπέχεται τὸ θεῖον τε καὶ ἀθάνατον καὶ φρόνιμον.

Idest: In sui simile, quod diuinum est, abit, immortale, ac sapiens existens: dum scilicet recedit animus.

Plutarchum igitur ne auscultemus in libro de Placitis Philosophorum, quem paucis immutatis, etiam Galeno tribuunt, ad eò corruptis mortalium iudicijs, dicentem Platonem sensisse, animam qua parte rationis particeps est, haud interiturā: namq; & si Deus non sit, æterni tamen Dei illam opus esse: rationis autem expertē mortī obnoxiam, ipsam tamen semper mouentem esse. Apud illum credi debere putat, rationalem etiam immobilem, motu qui ex loco ad locum est: substantiam autem intellectilem sponte moueri, ac ad numerum harmonicum modulatum in toto cerebro sedem habere.

f 5 Quid

Quid est, quod expertem rationis morti obnoxium putet: cum omne genus animæ apud illum sit immortale: quoniam omne id perpetuò mouetur, & principium quoddam est, uicissimque modò in unum animal, modò aliud, seu rationis capax, seu non, transmigret. Tria etiam genera immortalium animorum cum constituerit, omnia tamen & si in alijs dissideant, in immortalitatis natura conuenientia. Sed quanquam diuersa genera animorū sint, belluas tamen animam putat habere rationalem, substantiaque cum hominibus eandem, uerūm uelo quodam obsitam, opere, ac moribus tantūm, non ui, aut dignitate ab humana differre. At ipse Plutarchus potius in hoc suam, quàm Platonis sententiam expressit, dicens:

Ὅς τῆ δόξα νομίζουσι. Ἐ αὐτοὶ. Ὁ υἱὸς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός.

Mens quidem nostra Deus, et substantia animæ lux. Actalia quidem de illa prædicat. Diogenes autem Laërtius, qui Philosophorum uitam scripsit, hæc de Platone habet, Immortalem esse animam, & de corporibus ad corpora perpetuis uicibus migrare, eiusque initium numeris constare, quemadmodum corporis principium geometrica ratione. Diffiniēbat autem eam esse idem penitus differentis spiritus, se ipsam mouentem, & motum corpori præstantem: & esse tripartitā, rationalem ipsius partem in capite constitutam, irascibilem in corde, concupiscibilem in iecore, ac umbilico contineri: corpus uerò ipsum per gyrum circumambiens, uelut ex medio distinctis per harmoniæ interualla

terualla duobus orbibus, atq; iniucem coniunctis, mundi animam elementis ipsis constantem continere. Hæc etsi perperam de mundi, ac mortalium anima ab ipso Diogene scripta sint ex Platonis sententia, cum nec mundi animam elementis constare affirmet, nec humanam sedibus diuidat, sed humanæ tantum facultates: in reliquis tamē ab his, quæ nuper diximus, non dissentit. Pfellus uerò & ipse Platonicus Philosophus, hæc habet:

Ἐπιδή δὲ ἀπὸ ἀπειράτων ἡ ψυχὴ τὴν ὑπόστασιν ἔλαβεν, ὅδ' ἐν σωματικαῖς ὑφαισθήκει κράσι, ἀλλὰ ἀνωθεν ἀπὸ θεῶ τὴν ὑπαρξίην ἔχει πρὸς ἐκείνον καὶ ἐπιστρέφω.

Posteaquam, dicit, nõ ex seminibus substantiam anima ipsa accepit, neq; corporeis subsistit temperamentis, sed à Deo supernè habuit esse, ad illum etiam conuertatur.

Hic igitur animum diuinum, ac diuinæ originis esse duxit: in qua sententia hæc etiam à plethone Gemistone, Platonico uiro, scripta sunt:

Ὅτι καὶ συγγενῆ πῶς τὰ ἔργα ἀποδίδωσι τῶν αὐτῶν, ὡμ περ καὶ ἐκείναι ἐφαπτόμενη καὶ αὐτὴ τὴν τῶν ὄντων διὰ γνώσεως, καὶ θεωρίας, ἄχει καὶ αὐτῶ ἀνωτάτου θεῶ, καὶ διὰ τῶν ἀνώλεθρον.

Idest: Quibus similes operationes efficit attingens ad eadem atq; ipse, nempe rerum notiones, & contemplationes usq; ad ipsum supremum Deum, eoq; incorruptibilis.

Omnes igitur Platonicos huius opinionis fuisse perspicuum est, ut animus diuinus sit, atq; immortalis: quanquam non omnium uerba recitare

liceat



liceat, aut etiã in reliquis, quæ ad immortalitatem animi pertinent, quod etiam ab initio præfati sumus, concordare uideantur. Quamobrem Epicæti clarissimi Philosophi, ac Plotini opinionem declarasse nunc sufficiat: nam reliquos, ob inutilem longitudinem, præterire decet: neq; enim aliquid ad rem ipsam addunt, & lectorem iandiu longa Platonis narratione defessum, tædio afficient. Igitur Epicætus sic inquit:

Ἄλλ' αἱ ψυχὰ μὲν ὅπως εἰσὶν ἐνδεδεμέναι, καὶ συναφεῖς τῷ θεῷ, ἅτε αὐτῶ μόρια ὄσαι, καὶ ἀποσώματα, ἢ παντὸς δὲ αὐτῶ κινήματος, ἅτε οἰκίαι καὶ συμφυεῖς ὁ θεὸς αἰδάνεσθαι.

At animorum dicit, qui eo usq; connexi sunt, ac copulati Deo, ceu sint particule eius, & abscissiones, non ne motum ceu proprium, & coniunctum Deus ipse sentiet.

Vnum igitur amplius hac ex sententia superlucrati sumus, quàm quod per aliorum dicta patuisset: siquidem, animum nostrum à Deo proflueret, ac quasi illius partem esse. Plotinus uerò etiam argumentatione utitur, uerba eius subiungere libet, cum de animo loqueretur: Credetq; se immortalem, cum seipsum uiderit in natura intellectuali, ac pura. Videbit enim mentem aspicere, nosseq; nihil sensibile, neq; rem mortalem ullam, sed cum re sempiterna sempiternã re intelligentem, omniaq; in natura intellectuali, ipsumq; mundum intellectualem ac luminosum esse: uerùm hæc tamen à discessu. Aliam subiungit ante discessum, dicens,

x v i i. dum de animo loquitur: Quomodo non naturæ illius

illius erit, qualem esse rei diuinæ, ac sempiternæ  
 omnis, dicimus: nam sapientia, & uera uirtus, quæ  
 diuina sunt, haudquaquam rei uili, atq; mortali  
 insunt, sed necesse est diuinum esse eiusmodi, ut cui  
 soli sit cum diuinis societas, propter affinitatem ge-  
 neris, atq; substantiæ. In eandem fermè uim redit  
 Ciceronis argumentum, dicentis in oratione pro  
 C. Rabirio: Ita q; cùm multis alijs de causis, uirorū  
 bonorum mentes mihi diuinæ, atq; æternæ ui-  
 dētur esse: tum maximè, quòd optimi cuiuscq; atq;  
 sapientissimi animus, ita præsentit in posterum,  
 ut nihil, nisi sempiternum spectare uideatur. Sed  
 hic tamen nihil, tamen etsi piè omnia, præter auto-  
 ritatem cōcludit intentam ab illis propositionem,  
 namq; quod ad pietatē attinet, adeò religiosè scri-  
 psisse Phocylidem, atq; Epicharmum antiquissi-  
 mos poëtas refert Clemēs Alexandrinus, ut etiam  
 hæc illos quāquam præstitisset numerosa oratio-  
 ne, si modò illi hæc scripserant, usum fuisse, memo-  
 riæ monumentis mandauerit;

Ἐυσεβὴς νῶν πεφυκῶς ὁ πάθους ὁ δὲν κακῶν κα-  
 τὰ θανάων, ἄνω τὸ πνεῦμα διαμένει κατ' ὐρανόν,  
 ψυχὰ δὲ ἀσεβῶν ὑπεράνω ἐπὶ γαῖα πετῶν τὰς  
 ἄλλας φρονήσιν, ὑπὸ Ζαῖλαις ἀφύκτις κακῶς ἰουσε-  
 βῶν δὲ υπεράνω νεῦσι καλποῖς μακάρων, μέγα  
 ἀείδουσιν ἐν ὕμνοισ.

Quæ ille etiam sic uertit: Si pietatem animo coluisti,  
 defunctus mali nihil patieris. sursum in caelo permanet  
 spiritus. At impiorum animæ sub caelo uage, doloribus  
 seuis, cruciatibusq; æternis exagitantur. Animi piorum  
 caelestes

*cælestes, sinui beatorum recepti, iubilant hymnis.*

Ceterum ut ad rationes redeam, nihil ad rom-  
bum: nam prima ab obitu initium sumit, atq; ideo  
ex ignotis proficiscitur: lux autem non omnis per-  
petua, sed Solis quidem, ac stellarum: lucent enim  
& ipsæ lumine quodam proprio, & si forsan ex  
Sole illustriores reddantur, uelut in Lunæ deliquijs  
uidere licet: at ignis lux, quanquam splendidissi-  
ma, extinguitur. Quare non ex luce, sed ex re, quæ  
lucem habet, argumentum immortalitatis sumen-  
dum erit. Quod uerò in animo sit sapientia, eadem  
etiam in homine est: homo igitur immortalis. Sed  
quænam sapientia? quæ uirtus? an umbra potius  
horum, etiam si in anima illas esse constanter affir-  
mes: uidetur enim non secus, ac de luce iam dictum  
est, puram quidem in æternis substantijs esse, seu  
lucem, seu uirtutem, & sapientiam spectes: impuram  
autem mortalibus communicatam. Quo fit, ut ue-  
rear, ne hoc argumentum potius obfit immortalit-  
ati probandæ, quàm conducatur. Quid autem Cice-  
ro in hac causa habet autoritatis, qui inferos, & di-  
uinationem deridet? Sed habet ratio sua autorita-  
tem. Quam? Quod animus præsentiat? Nimirum  
si hanc ob causam. Prætermitto nunc temporum  
mutationes, quas ferè nullum animal aliud non  
melius homine ipso præsentit: Palma immortalit-  
atis animi equis debetur: nam hi, ut qui historias  
bellorum, aut equorum scripserunt, uictoriam, aut  
cladem præuidere creduntur: atq; inter auspicia  
etiam cædis C. Cæsaris numeratum est ab histo-  
ricis, equos illius sacros fleuisse, cum nihil horum  
homo

homo præuidere queat. Sed hic tamen præsentit animi immortalitatē. Quo nam argumēto id licet coniectari, cum adeò stupidus in manifestis rebus deprehēdatur, ut multis etiam belluis sit inferior?

Ergo ne nulla ratione Platonis opinio nobis ostēdi potest? Certè sic, atq; adeò ualida, ut omnem conatum Philosophorum ad se trahat: ea autem est: Quoniam non obscurum est, omne, quod nullo corporis uitio, non morbo, aut senectute languescit, ac debilitatur, à ui corporea, atq; ideo ab omni corruptione fore immunem: namq; omnem generationem, corruptionemq; mutatio quædam præcedit, nec esse potest, ut quicquam statim corrumpatur: accedit, quòd tale cœlestē esse oportet, quòd nulla prorsus corporis iniuria afficiatur: tum uerò quòd in omnibus experimur, facultates, uirtutes, partesq;, ac corporum accidentia illis uitiatas, quamquam per se ipsa non corrumpantur, per accidens tamen, ut dici iam solet, deficere. Quare quòd nullo modo uitiatum corporis interitu, atq; langore, id nullo modo pars est corporis, aut facultas, aut ab ipso pendet. Anima autem nulla prorsus corporis contagione afficitur, non senio, non langore, quanquam extremis: quare prorsus anima ipsa immortalis erit. Ut autem intelligamus, animam neq; senescere, nec ullo morbo aut temporis ulla diuturnitate uitari, illud primò non ignorare nos decet, quòd non solum ab Aristotele, cuius etiam hæc tota ratio est, sed à populo etiam dicitur, & quilibet in seipso quotidie experitur, siquidem, hominē esse qui audiat, qui uideat,



deat, qui sentiat, nec magis tactu certi sumus, quàm uisu, uel auditu, imò minus, etsi tactus instrumentum per totum corpus diffusum sit, auditus uerò, ac uisus in una tantùm parte, atq; ea per exigua, consistet. Huius ratio manifesta est, quòd oculus, auris, & nerui non sentiunt, sed simul homo ipse per aures, oculum, atq; neruum, tanquàm organa, seu instrumenta: non uerius dicimus, tonsor tondet, quàm nouacula tondet: at uerissimè, ut nihil iam possit euidentius explicari, uel significantius dici, Tonsor nouacula tondet, & fullo aqua abluit, & homo oculo uidet, aure audit, neruo sentit, ut iam non in recto, sed obliquo casu instrumentū ipsū ponatur. Cæterum si quis roget, quā nam principalis parte, an animo, an corpore sentiat: Quis dubitabit respondere, quòd animo: cum non solum mortua, & inanimata, & plātæ etiam, uerum & ipsa animalia dū dormiunt sensu careant: quòd anima somno sit obuoluta, ac planè impedita. Igitur homo anima ipsa, tanquam principe, per aures audit, uidetq; per oculum. Hæc igitur cum ita sint, senes primò animaduertamus, qui curam aliquam partis cuiuspiam habuerunt, in ipsa extrema ætate optimè uti: uelut cum pater meus Fatius Cardanus ab ineunte ætate summam curam oculis, ob illorum imbecillitatem adhibuisset, octogenarius minutissimas literas non secus, ac puer legere solebat. Ergò cum reliquæ omnes facultates ad summam, confecta iam ætate, imbecillitatem redactæ essent, sola uidendi uirtus manserat illæsa: uidebat igitur ut iuuenis, cætera agebat, ut hi solent, qui in  
decrepita

decrepita ætate sunt constituti, quoniam reliquarum functionum instrumenta uitiata erant, nec spiritus præsto illis erat, ob caloris innati paucitatem. Concessum uero est, uisionem homini secundum animam competere: anima igitur tunc, cum in ultimo senio esset, æquè perfecta erat, ut in iuuentute: sed solo uidendi munere exactè, atq; incorruptè fungebatur, quoniam id solum organū illæsum manserat, atq; ob consuetudinem magna solū ad id spirituum copia deferebatur. Quamobrem & membra, quibus magis utimur, modo moderatè illis, ac citra noxam utamur, tardius senescunt. Atq; ideo in eruditis memoria tardissimè, ac mētis robur, uires uero corporis celerrimè: at in stupidis contrà accidit. Quare si cui uitam diutius seruare in animo est, omnia corporis membra, omnesq; partes æqualiter exerceat: si unum tantū membrum, illud curet, assiduaq; exercitatione foueat: sic falaces quidam etiam citra noxam in senectute uenere utuntur, quanquam ei ætati nihil possit esse infensus. Et nos, cum iam quadragesimum tertium agentes annum, aliquo modo uires corporis debilitari sentiamus, memoriam tamen augeri percipimus: id fieri minime posset, si anima ipsa cum corpore ipso uires amitteret. Sed nec dicendum erit, in patre meo omnia membra exteriora consenuisse, præter oculos, animam autem cum corde adhuc fuisse in ætate constituta: nec illud negandum experimentum ob id, quod non ad unguem æquè benè tunc uideret, ut puer iam facere solebat: nam ariditas totius corporis, quæ siccitatem

tem cordis consequitur, iam aduenerat, etsi paruo interuallo a uidendi uiribus, quas in iuueta habuerat deficeret, nihil nos impedit: quandoquidem confiter, cor celerius cofenuisse, atq; plus quam oculos. Quamobrem si anima, quæ in illo sita erat, cordis est uel temperamentum, uel pars, uel uis, aut facultas: necesse prorsus fuit, ut ferme æqualiter in omnium membrorum operationibus læsus esset: quod cum non ita foret, nec cõtingat, manifestum est, animam quid diuinum esse, ab omni corporea uis, quo ad substantiam immune, atq; ideo perpetuum, atq; incorruptibile. Similiter & in morbis, cum plures iam ad mortem proximè accesserint, laboratq; iam cor extrema lassitudine, nec ulla ibi temperies est, audiunt tamen, & uident, ac intelligunt. Quare si anima cordis est temperamentum, uel ex eius temperamẽto procedit, esse non potest, ut eo iam corrumpi incipiente, quicquam sanum existat: quinimo eos, qui ob uitium cordis laborant, sentiendi omnes functiones magis deserent, quam qui cerebri: At cõtrà res se habet: quoniam cerebrum, cum sit harum functionum instrumentum, sui uitia eas corrumpit. Quare necessarium fuit, uel animæ sensibilis sedẽ in cerebro, tanquam unius tantum constituere, quod nemo adhuc ausus est: uel, ut Galenus facit, imponitq; Platoni, tripartita anima, illam quæ sensu, & ratione pollet, in cerebro collocare.

Ergo ad hoc aliter, atq; aliter alij respondebunt, Galenus enim animam, cum corpus cerebro toto sparsum credat, diuersis partibus diuerso modo affici

affici non negabit, igitur iam senescente anima, quæ in corde est, ob caloris, ac siccitatis magnitudinem ea quæ in cerebro manet, nondum senescit; atq; id ad finem optimum constitutum uidetur, scilicet, ne animal mancum, atq; mutilum maneat, sed prius uita priuetur, quam reddatur inutile. Verum cum iam ostenderimus, tres esse animas in homine non magis posse, quam ipsum tria animalia; nec animam corpus unquam credere sani fuisse hominis: erat hæc responsio, etiam si nihil aliud obstreret, relinquenda. Sed cum nec his admisis satisfaciat, non obscurum est, nihil ad rem illam pertinere. Namq; si anima ipsa cerebri non senescit, aut tota quidem uidet, aut per partem, sic ut singulis sensibus sua portio adscribatur: si secundum, alius audiet alius uidebit, alius tanget. Hæc si quis mihi sponte fateatur, iam & ego, ne cum homine tam absurdo contendam, animorum potius obitum libenter concesserim. Sin autem dicat, totam illam animam uidere, atq; ut in neruo absq; spiritu, illicò per totum diffundi dolorem, aut uoluptatem: quero ego, postquam anima ipsa, ac cum illa cerebrum bene se habet, nec consenuit, cur reliquæ omnes uires interiores illæ sæ non manent? quare eum, qui iam uel senio, uel morbo confectus delirat, uisu, & auditu carere necesse est: atq; eo modo non iam tres homines, ut Platoni imponit, sed uel plusquam decem, si secundæ innitatur responsioni, imò penè innumeros in uno collocabit. Hæc igitur prætermissa responsione, alia excutienda erit.

g 2 Sentire



Sentire quidem, ut iam ex Alexandro dictum est, patiendo primum, inde in actione quadam constat, actio in anima, quæ sentit: pati autem organo conuenit, eo rectè disposito sentiendi facultas benè habet: sed non tamen quod actione perficitur, illæsum est: ergo & subtiliter, & procul uideri, uel audire, sensibus est concessum: at benè uideri, aut audire nequaquam: uerùm sentiendi actus ipse obtusus est, ac inualidus. Subtilis planè hæc est responsio, uerùm difficultatē non euadit, nanq̃ tam agere, quàm pati in anima fit: sed tamen ad hoc dicitur, pati quidē posse etiam oblæsa anima, actiones perficere minime. Verùm si quis rectè animaduertat, sensum diffidentia potius in causa esse uidetur imperfectarum actionum, quàm animi læsio: nam cum aliqui delirarent, audaciores facti sunt: indicio igitur est, conscientiam imbecillitatis potius in causa esse, ut actionum uideantur imperfectarum, quàm debilitationē. Quin etiam in morientibus ob cordis intemperiem rectrices facultates meliores, nedum sanis æquales esse uidentur, quod etiam pro A. Cluentio Cicero orans confirmare uidetur his uerbis, Longius prospexisse morientem. Atq̃ id clarius in libris de diuinatione, dum etiam Porsidonij exemplum enarraret: quamquam id non eò nunc tendat, ut sensus sint uegetiores, sed ad animi potius explicandam diuinitatem, ut ex hoc aliud argumentum immortalitatis animorum sumere liceat. Sed tamē nihil ad rhombum diuinationis hæc, aut subtilitas ingenij, ac in posterum acuta præsensio, cum diuinationem perficiat

ciat rationis interitus : nam belluas , & stultos , ac pueros melius diuinare , cum etiam ex his aliqua non dubie cernimus ; prospicere autem in futurum melius morientibus concessum , quoniam intētius animum figunt ob maximam sollicitudinem : & quoniam tunc ad pauca respiciunt , de ijs , quæ solum maxima esse ducunt , cogitantes . Alij magis ad philosophi mentem , neminem cordis senio interire fatentur , sed iam calore euanescente , morbi ex cruditatibus confurgunt interimentes : ob hoc in senio , nemo ex senio , sed ex morbo mori uideatur : fiuntq; in his lætales hi morbi , qui in iuuenta leues extiterant . Ob id cum senectutem quis ingreditur , cruditatibus coaceruatis , caloreq; inclināte , facile cuius morbo exponitur , prout natura in illum paratus est , facileq; ab eo extinguitur : tum maxime id euadunt diutius discrimen qui corporis exercitio plurimo , mentis minimo utuntur , paucisq; utuntur cibis . Ob hæc igitur studiosi ad longam nunquam euadunt senectam , nisi uictu utantur exquisito : quicumq; autem morbos omnes effugerint , siccitate tamen pulmonis , ut Aristoteles Cap. 7. censet in libro de Respiratione ac inspiratione , non ob senium cordis moriuntur . Quare non animam senescere dicendum est in his , in quibus nondum cor consenuit . Sed cur senes tamen iuuenibus minus ægrotāt , ut Hippocrates inquit : decebat enim illos facilius morbis corripī , ob caloris imbecillitatem . Galenus intelligit hoc in ijs , qui moderato uictu utuntur : nō ergo senectutis hoc est beneficium , sed moderationis . Aliud autē sensit Hippocrates ,

g 3 etiam

etiam præter uictus & laborum moderationem in senibus: nanq; calor minor, & humidum minus est, ad febres itaq; & putridos morbos, naturali temperamento resistente, minus sunt parati: nanque experimentum nos hoc docet, iuuenes epidemix tempore facilius corripit senioribus, & plerunq; propter solam aëris æstiuæ qualitatem febres incurrere, quod iuuenes & si fortio-rem habeant calorem, rariorem tamen habeant eum senioribus: nec fortior calor omnibus causis cum ab intemperie ortum habuerint, debili fortius resistit. Adde, quod senis membra duriora sunt, & solidiora. Ergo si his omnibus exquisitiorem uictus rationem, & moderatiores addideris labores, sermo Hippocratis clarus, ac completus euadet. Sed ut ad rem redeam, responsio hæc non satisfacit, cum anima si senescat cordis senio, quamquam non ad ultimum cor senescat, inualidum tamen efficitur, ac longè debilius multis sensibus: quin etiam Alexander, qui animum etiam humanum interire putat, fatetur tamen in suo libro de Intellectu, senes iuuenibus melius intelligere, & ad eruditionem aptiores esse. Cum igitur palam sit, animam si cum corde afficitur, in senio decrescere uiribus, at sensus, & intellectum augeri, non erit anima sensus, & intellectus fundamentum. Sed interim in mentem uenit, ut quod Angelo Cardano affini meo accidit, enarrem: is annos agebat sexaginta, amisitq; totam penè uidendi facultatem, atque sic, absq; tamen morbo, ut uidebatur, usq; ad septuagesimum annum

num uixit: postmodum cum ad eam usq; diem cum uxore sterili uixisset, atq; ideo Andream in familiã adoptasset, mortua ea uxore, aliam superduxit, suscepitq; tres filios, quorum ultimus, iam illo agente septuagesimum septimum annum natus est, quanquã Aristoteles septuagesimum annum ultimum generandæ prolis terminum in masculis statuerit: à nouis autem nuptiis, uisus aciem sensim adeò benè recuperauit, ut ad nonagesimum quartum prouectus annum literulas absq; conspiciis legere consueuerit: sed nec responsio ista in morbis satisfaciet, cum palam ibi necesse sit animam corrumpi spiritu, ut uocant, complantato iam corruptioni obnoxio: attamen nullo melius tempore; aut subtilius audiunt ægrotantes, quàm sub extremo uitæ tempore.

Aliter Galenus etiam responderet, siccitatem dicens sensibus non obesse, quinimo stellas sapientissimas affirmat, quod sint siccissimæ. Si de siccitate loquitur, erubescit certè illius causa, cum nec stellæ sint sapientes, nec sicæ, quin potius omnis extraneæ qualitatæ expertes. Verùm utcunq; sit, in senio non tantum siccitas, sed etiam frigiditas dominatur, quam palam est, etiam ex illius decretis omni functioni animali obesse: nam & obliuiosos senes ob frigiditatem esse dicit. Forfan quispiã negabit, senes sensibus æquè perfectis uti posse: uerùm de intellectu alia ratio, quæ etiam de prudentia assignari in senibus solet, præferri poterit: non sentire autem illos, detrimentum temporis longitudini, & diminutioni, quæ adeò sensim



fit, tribui queat: uerùm hoc in agris defendi non potest. Vidimus etiam quosdam, qui leues cibos in iuuenta concoquere non poterant, extrema etiam senectute durissimos subegisse. Alexãdru[m] Cardanum uidi annum septuagesimum superantem probè curatum ab oculario medico per acum à suffusione, in posterum tam benè uidisse, cum paucis superuixerit annis, ut longius agnosceret uenientes, quàm ego, qui tum eram adolescens: sed id tamen beneficio ille adiutus perspicillorum, nanq[ue] sine illis parum ritè uidebat.

Ergo ne hoc argumentum tam parui momenti esse duxerim: cum Aristoteles fermè uideatur affirmare, omnem animam esse immortalem: nam neq[ue] dicendum est, ad extremum usq[ue] manentem uelut flammam omni non solum oleo, uerùm & liciniò absumpto protinus extingui: nam dum flamma ad extremum deducitur, minus etiam illumina[m]t: cum uerò liciniū depascitur, collucet: quod etiam exemplum ad morientes, qui paulò ante reuiuiscunt, quidam transferte solent. Igitur uerba Philosophi secundo de Generatione animalium abscribenda mihi erūt: ea autem sunt, Græcè enim prius adijciam quæcunq[ue] ex Aristotele sumuntur, quoniam multi illius auctoritatem, nec immeritò, pro ratione habent:

ἔχει δ' ἀπορία πλείστη, καὶ δεῖ προθυμῶσαι  
κατὰ δύναμιν λαβεῖν, καὶ καθ' ὅσον ἐνδέχεται. τὴν  
μὲν ἄνθρωπινὴν ψυχὴν, τὰ σπέρματα καὶ τὰ κνύ-  
σματα τὰ χωριστὰ διελόντι, δυνάμει μὲν ἔχοντα  
δεύτερον

δεῖται, ἐνδργεία δὲ εἰ ἔχοντα, πρὶν ἢ καθὰ πόρ  
 τὰ χειρομύνα τῶν λυμμάτων ἑλκεῖ τῆ τροφῆ,  
 εἰ ποιεῖ τὸ φη τοιαύτης φύξης ἔργον πρῶτον μὲν  
 γὰρ ἀπῶντος ἔοικε ζῆν τὰ βιῶντα φύξῃ βίου. ἐπο-  
 μώνως δὲ δηλονόπιον πορὶ φη ἀδνητικῆς λείπειον  
 φύξης, καὶ πορὶ φη νοητικῆς. πάσας γὰρ ἀναγ-  
 κῶν διωμάμφ πρότερον ἔχειν ἢ ἐνδργεία ἀναγ-  
 κῶν δὲ ἢ πορὶ μὴ ὅσας πρότερον ἐγγίνεαι πάσας,  
 ἢ πάσας πρῶταρχῶν, ἢ τὰς μὲν, τὰς δὲ μὴ  
 κὺ ἐγγίνεαι ἢ γν τῆ ὕλη μὴ εἰσελθῶν γν τῶ φ  
 ἀρρῶν<sup>θ</sup> ἀπῶμα, ἢ γντῶντα μὲν, εἰεῖθιμ ἐλθῶ-  
 ρας. γν ἢ φ ἀρρῶν, ἢ θύραθιμ ἐγγινομῶν ἀπά-  
 ρας, ἢ μηδεμίαν, ἢ τὰς μὲν, τὰς δὲ μὴ ὅτι μὲν  
 τῶν μὲν ὅχι οἶον τε πάσας πρῶταρχεῖν, φανέρον  
 ἐστὶν ἐκ τῆ βιῶντων. ὅσων γὰρ ἐστὶν ἀρχῶν ἢ ἐνδρ-  
 γεία σώματικῆ, δῆλον ὅτι ταύτας ἀνευ σώματος  
 ἀδιδάθῃ ἰσῶρχεῖν. οἶον βαδίζειν ἀνευ ποδῶν  
 ὡσεῖ εἰ θύραθιμ εἰσῆναι ἀδιδάθῃ. ὅτε γν αὐτὰς  
 καθ' ἑαυτὰς εἰσῆναι οἶον τε ἀχωρίσως ὅσας, ὅτ'  
 γν σώματι εἰσῆναι. τὸ γὰρ ἀπῶμα πρῶτῶμα με-  
 ταβαλλῶν τῆς τροφῆς ἐστὶ. λείπειαι δὲ τῶν νῶν  
 μόνου θύραθιμ ἐπφστῆναι, καὶ θεῶν εἰν μόνου. ὅδε  
 γν αὐτῶ τῆ ἐνδργεία κοινῶν εἰ σώματικῆ ἐνδργεία  
 πάσας μὲν φύξης εἰν διωμάμφ ἐτέρῃ σώματι<sup>θ</sup>  
 ἔοικε λακωνωνῆναι, εἰ θεοτέρου τῶν λακωνῶν  
 σχεῖον. ὡς δὲ διαφέρεισι λιμῶντι αἰ φύξαι καὶ  
 ἀπῶμα ἀλλήλων, ὅτω κὺ βιῶντη διαφέρει φύξαι,  
 πάντων μὲν γὰρ γν ἰσῶρχῃ τῶ ἀπῶμα, ὅπορ  
 ε 5 ποιε

πῶς γόνιμα εἶναι τὰ ἀπείρητα, τὸ καλούμενον  
 θερμὸν τοῦτο δ' ἔστι πῦρ, ὃ δὲ τοιαύτη δυνάμις ἐστίν,  
 ἀλλὰ τὸ ἐμπόδιλαμβαίνον γινώσκον τῷ ἀπείρητῳ, ἢ  
 γινώσκον ἀφροσύνη πνύμα, ἢ γινώσκον τῷ πνύματι φύ-  
 σις, ἀνάλογος ὅσα τῷ πῦρ ἀφροσύνη. διὸ πῦρ  
 μὲν ὕδρα γινώσκον ζῶον, ὃ δὲ φαίνεται συσταμένου  
 πυρραμνίου, ὅτ' γινώσκον ὕδατος ὅτ' γινώσκον ξηροῦ ὕδατος. ἢ  
 δὲ τὸ ἥλιος θερμότης ἢ γινώσκον ζῶον, ὃ μόνον δὲ  
 τῷ ἀπείρητῳ, ἀλλὰ ἕκαστος περιπέτεια τύχη τῆς  
 φύσεως ὃ ἕτερον, ὁμοῦς ἔχει ἢ τὸ ζώον ἀρ-  
 χιλῶ ὅτι ἢ ἔν ἢ γινώσκον τοῖς ζώοις θερμότης ὅτι πῦρ,  
 ὅτ' ἀπείρητος ἔχει πῦρ ἀρχιλῶ, ἐκ τῶν βιότων ἐστὶ  
 φανερὸν. τὸ δὲ ἐπὶ γόνις σῶμα γινώσκον σωματικῶν  
 χεῖται τὸ ἀπείρητα τὸ ἐπὶ ψυχικῆς ἀρχῆς, τὸ ἢ χω-  
 ριστῶν ὅν σῶματός, ὅσοις ἐμπόδιλαμβαίνονται τὸ βίον.  
 βιότος δὲ ὅτι ὁ καλούμενος νῦν, τὸ δ' ἀχώριστων,  
 ὅσα ἀπείρητα τῆς γόνις διαλύεται ἢ πνευματικῶν  
 φύσιν ἔχει ὅρα ἢ ὑδατῶν. διὸ πῦρ ὃ δὲ δὲ  
 ζῶον αἰετῶν αὐτὸ ἐξίνα. ὃ δὲ μόνον ὕδατος  
 ἐπὶ τῆς συστάσεως μορφῆς, ὡσαύτως ὃ δὲ τὸν ὕδατος τῆ  
 τὸ γάλα σωματικῶν. ἢ γινώσκον ὅτος μεταβάλλει, ἢ  
 μόνον ὃ δὲ ἐπὶ τῶν σωματικῶν ὅρα, περὶ μὲν  
 ἐπὶ ψυχῆς πῶς ἔχει τὰ λυγμάτα καὶ ἢ γόνι, καὶ  
 πῶς ὅκ' ἔχει, δίδωσται. δυνάμις μὲν γὰρ ἔχει, ἐνε-  
 γεία δὲ ὅκ' ἔχει.

Tam longa uerborum serie hic utimur, quoniam  
 disputatio nostra ex hac famosissima authoritate  
 quidam Aristoteles censuerit, exordium su-  
 met

met: Latine igitur prius cōuertemus quasi ad uer-  
bū, ne uel fidelius aut melius, sed ut facilius, quā  
Gaza eruditissimus transtulerit, legētibz euadat.  
Ergo sic habet:

*Est autem dubitatio magna, & quam pro uiribus tra-  
ctare, animoq; ad eam intēto oportet, & omnibus ratio-  
nibus perquirenda.*

Dixerat autem eam esse hanc, *ὅτι καὶ πρὶν τῆς πό-  
τε, καὶ πρὸς μετὰ ταῦτα, καὶ πρὸς τὴν μετὰ τὴν τῶν  
τῶν ἀρχῶν.* Id est: Propter hoc, & de mente quan-  
do, & quomodo, & unde eam recipiant quæ hoc  
participant principio. Ergo respondens dubitati-  
onī, subiungit quæ Græcè sequuntur, scripsimusq;  
superius in hunc modum:

*Animam igitur nutrientem semina quidem, ac conce-  
ptus seorsum accepta manifestum est potentia quidem ha-  
bere, actu autem non priusquam eo modo quo conceptus,  
qui iam separantur, cibum trahant, & officio eius animæ  
fungantur: principio enim hæc omnia uitam stirpis uiue-  
re uidentur: pari modo de sensitiua anima ac rationali di-  
cendum est: manifestum enim est, necessarium omnes po-  
tentia prius haberi, quā actu. Necessarium est autem  
omnes prius non existentes innasci, uel omnes prius exi-  
stentes accedere, uel aliquas, sic aliquas nō. Et si innascun-  
tur, aut in materia ipsa, non ex maris semine uenientes:  
aut ex illo quidem uenientes. Si autem ex maris semine  
ueniant, uel extrinsecus omnes adueniunt, uel nulla, aut  
aliqua sic, aliqua non. Quod autem omnes præcedant, his  
rationibus ostenditur esse non posse. Quorum enim prin-  
cipiorum actio cum corpore est, eorum etiam existere  
absque corpore esse non posse, manifestum est: uelut am-  
bulare*



bulare sine pedibus: itaque extrinsecus ea aduenire non possunt, nec enim ipsa per se accedere possunt, cum inseparabilia sint: neque cum corpore, est enim semen excrementum alimenti mutati. Restat igitur, ut mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit, nihil enim cum illius actione communicat actio corporalis. Igitur omnis quidem anima uirtus alterius corporis particeps esse uidetur, atque eius diuiniore, quam eorum, quae uocantur elementa: uerum ut nobilitate, ignobilitateque animae differunt inter se, sic et natura illius corporis differt: omnium enim semini inexistit, quod facit, ut foecunda sint illa uocatus calor. Hic uero non ignis, non talis facultas aliqua, sed qui continetur in semine ac spuma spiritus, et eius spiritus natura proportionalis existens elemento stellarum. Quamobrem ignis nullum animal generat, neque calidis, aut humidis, sicis ue ulla res constat. At uero Solis calor, atque animalium, non solum qui in semine continetur, uerum qui in excremento, quanquam natura diuerso, similiter habet uitale principium. Quod igitur calor, qui in animalibus est, neque sit ignis, nec ab igne ducat originem, apertum ex his est: corpus autem geniturae, in quo semen animalis principij contentum una prouenit, separabile quidem a corpore in ijs, in quibus diuinum comprehenditur, tale autem est, quod mens appellatur: hoc autem inseparabile, taleque est geniturae semen, dissoluiturque, ac in spiritum uertitur, cum naturam humidam, et aquosam habeat. Quapropter cum id semper foras exeat, quaedum non est, neque an pars ulla sit formae constituta, quemadmodum nec de succo, a quo lac cogitur: nam et is mutat, et nulla pars constituta magnitudinis est. De anima igitur quemadmodum eam habeant conceptus, ac genitura,

¶

*Et quomodo non habeant definitum est, potentia enim habent, actu non habent.*

Ergo Philosophus animam omnem diuinum aliquid esse putat, ac ut breuiter dicam, substantiam elementarem cœlesti uirtute formatam, atque impressam: non solum ob id, quod neque senescat, nec morbis uitietur: sed quod uim illam generandi, ac formandi in se contineat. Non igitur tantum abest à Platonis opinione Aristotelis de belluarum anima sententia: sed tamen quod immortalitatem illi deneget, ex multis, quæ adducemus inferius clarum erit. Quamobrem nec elemento stellarum, id est substantia illarum constare, sed proportionali, neque corpus aliud, sed alterius corporis uirtutem dixit, manifesteque corruptibilem pronuntiauit, cum inseparabilem nullam præter mentem affirmat. Manifestum uero est, cur non senescit, aut morbo uitietur: nam uirtus illa diuina est, quæ nec imminuitur, nec augetur, dum corpus manet: & tamen illo soluto ipsa per accidens interit, uelut & Solis lumen, quod in aëre est: perpetuum quidem natura sua est, uerum tamen subiecti corruptione destruitur: ex se igitur inuolabile, subiecti autem natura singulis momentis interit, alio succrescente. Anima igitur corpus non est: nam ubique, & omni inesse non posset, alioque indigeret mouente: nec accidens, posterior enim esset corpore ipso, nec dignum esset, ut uiuentis principium foret, essetque uiuens ipsum unum per accidens, ut album, quia substantia est incorporea, nec elementaris esse potuit, solum, nec alio corpore constare cœlesti, quoniam tota uis

in

in femine est, nec ullam habet propriam functionem, quia coelesti tantum uirtute complectitur, qua duce opera sensuum, ac nutritionis exercet. Atque hoc modo quaestionem, quam in initio capituli Aristoteles proposuerat, quamque nos praetermisimus, absoluit. Vnum uero habet argumentum contra Platonis opinionem, non esse separabiles, quia sensitiuae animae, ac nutritiuae corpore indiget ad operationes. Docuit uero nos, quod maxime desiderandum erat, animam scilicet in spiritu ipso contineri: ergo membra uasa sunt animae non solum, sed eius, qui animam continet, nec membra nisi propter spiritum creata, non solum ut illum custodiant, sed etiam ut operationes illius perficiant. Ergo opinione Platonis copiose, ac clare demonstrata, ad Aristotelis sententiam descendamus.

*Aristotelis de animi immortalitate sententia.*

XXI. **S**Eclusa omnis animae a philosopho de immortalitate sententia, opportunum uidetur, quid nam ille de intellectu senserit, declarare: ergo ne longius discedamus, in praecedentibus uerbis tres mouit de anima quaestiones. Primam, An omnes animae prius essent, quam in corpus ipsum illaberentur, an simul ex ipso prodirent corpore, an reliquae sic, aliqua non: ut non obscurum sit, illum uelle, quod innascitur, etiam simul gigni: quod accedit, prius esse. Altera quaestio est: Si innascantur omnes, uel plures, an ex femine maris, an in materia, scilicet sanguine menstruo. Tertia: An si prodeant ex maris femine

femine, in ipso gignantur, uel extrinsecus accedant. In omnibus his tria illa intelligit, scilicet, An omnis, an nulla, an aliqua. Nec tertia quaestio mēbrū est diuisae secundae, sed primam, atque secundam amplectitur, aliter sibi contradiceret: ergo quae extrinsecus accedunt praecedunt. Tertiam igitur soluens quaestionem, dicit, nō omnes extrinsecus posse accedere: nam uel cum corpore, uel sine, de quibus nunc nulla cura est. Mentem uero solam extrinsecus affirmat nobis accedere: ex quo fit, ut etiā praecedat corpus. Et ne mētem existimarem uirtutem quandam coelestem, sed substantiam, declarauit post, omnem animam uirtute coelesti participare, nec tamen ullum genus extrinsecus aliud accedere dixit, quare mens ipsa substantia erit, quaedam corpore prior, diuina, extrinsecusq; accedens. Rationem etiam huius docet: quoniā eius operatio cum corpore non communicat. Vnde solutio argumenti, quod ultimo ex Aristotelis autoritate primo de Anima induxeramus, manifesta est: aliquam enim intellectus operationem à corpore omnino seiunctam habet. Quæris, quam? Illam, quā duodecimo primae philosophiæ descripsit his uerbis: Degentia autem nobis qualis paruo tempore optima illi est, de Deo loquens. Subiungit autem post: Seipsum autem intelligit intellectus assumptione intelligibilis: intelligibilis fit nanque attingens, & intelligens, ita ut idem intellectus & intelligibile sit: susceptiuum autem intelligibilis & substantiæ intellectus est, operatur autē habens. Tunc uerò propria est operatio, quæ & delectabilissima est

Cap. 1.

Cap. 7.



est, & sine labore, corporisq; auxilio. Quod uerò substantiam appellauerit intellectum, nemini dubium esse puto, tum in primo de Anima, ubi argumentum hoc superius dissoluimus, dum dixit, ὅτι ἡ ψὺς ἰσικὴν ἐγγίνεσθαι ἑαυτῇ καὶ ἑαυτῇ. Id est, Intellectus quidem aduenire uidetur, substantia quædam existens. Et in tertio de Anima etiam:

Ἀλλὰ μὲν εἴτε τὸ λογικὸν, ἢ ὁ καλόμενος νῦς ἐστὶν ὁ κίνησις ὁ μὲν γὰρ θεωρητικὸς, εἴτε νοεῖ πρακτικὸν, εἴτε λέγει πρὸς φεύκτη ἢ δῶκεν εἴτε. ἀείδῃ ἢ κίνησις ἢ φεύκτης ἢ, ἢ δῶκεν ἢ εἴτε, ἀλλ' εἴτε ὅταν θεωρῆται τεισθῆται, ἢ δ' ἢ κελύφῃ φεύκτην, ἢ δῶκεν. οἷον πολλάκις εἴτε νοεῖ τὴν φοβερόν, ἢ ἢ δ' ἢ κελύφῃ δὲ φοβεῖσθαι, ἢ καρδίαν δὲ κινεῖται. ἀλλ' εἴτε, ἢ δ' ἢ, ἢ εἴτε πὶ μῶρον. ἢ πὶ καὶ ἢ δ' ἢ τῆσιν ἢ τῆσιν ἢ λέγουσι τὴν διανοίας, φεύκτη πὶ, ἢ δῶκεν, εἴτε κινεῖται, ἀλλὰ ἢ τῆσιν ἐπιθυμίαν πρὸς τῆσιν, οἷον οἱ ἀκρατεῖς.

Id est: At uerò neque ratiocinandi uis, nec quod intellectus uocatur, motuum est principium: contemplatiuus enim nihil eorum, quæ ad actiones contemplatur, neque de fuga aut persequutione quicquam dicit: motus autem semper est, uel persequentis, uel fugientis: sed neque quando speculatur aliquid, iubet fugere, aut persequi, ut cum sæpenumero agnoscit terribile, uel iocundum, non tamen fugere iubet, cor autem mouetur, si autem iocundum alia pars. Præterea intellectus nonnunquam iubet, & ratio appellata, aliquid fugere, aut persequi: sed non mouetur homo, uerum secundum cupiditatem agit, ut incontinentes facere solent.

Inde

Inde paulò pòst:

Νῦν δὲ ὁ μὲν νῶς ἔφαινεται κινῶν ἄνδρ' ὀρέξεως ἢ  
 γὰρ βόλησις ὀρέξις ὅταν ἢ κατὰ τὸν λογισμόν κινῶ-  
 ται, καὶ κατὰ βόλησιν κινεῖται.

Quod est: Hunc autem intellectus quidem non uide-  
 tur, sine impulsu mouere, uoluntas enim impulsus qui-  
 dam: cunq; secundum rationem mouemur, & etiam se-  
 cundum uoluntatem mouemur.

Ergo intellectus ipse substantia est: nam mentis  
 est, in qua uoluntas etiam. Aut dicendum est, uo-  
 luntatem in intellectu esse, quare intellectus, cum  
 uoluntas principium sit actiuum, & ipse substan-  
 tia est. Quamobrem fabulosa est opinio Alexan-  
 dri, atq; Pomponati, qui intellectum nihil aliud  
 tandem statuunt, secundum Aristotelis opinionem,  
 quam ipsum intelligendi actum, qui quidem cum  
 sit consimilis actui diuinorum, atq; æternorum,  
 ideo ab Aristotele æternus, ac diuinus merito  
 nuncupetur, talisq; etiam natura propria sit, quan-  
 quã in animi interitu intereat. Sed nō animaduer-  
 tunt, præter reliqua, intellectum ab Aristotele sub-  
 stantiam uocari. Sed infrà hæc responsio, atq; opi-  
 nio declarabitur quantum ualeat: nam nunc cum  
 tractemus solum Philosophi mentem, atq; uerba,  
 à quibus est remotissima, prætereunda uidetur.  
 Nec uerò minus respōsiones, quas qui oppositam  
 sententiam afferunt Alexander, & Pompona-  
 tius, ostendunt, hæc de animi immortalitate auto-  
 ritatem Philosophi sententiam clarissimè ostende-  
 re. Alexander enim in libro de Intellectu, mentem

h

h

extrin

extrinsecus aduenientē Deum interpretatur, cūm perfectissimo iam factō intellectu intelligitur: ille enim mens est, atq; immortalis: cūm q; intellectus, & quod intelligit unum fiant, tunc mens ipsa pars nostri fit, atq; intellectus noster immortalis. Sed hęc responsio adedō absurda est, ut claritatem immortalitatis ostendat, atq; ideo recte à Themistio reprobatur: nam præter reliqua non una mēs, sed plures essent: quandoquidem x i i. primæ Philosophiæ, substantiæ illæ cœlestes, atq; diuine, numero orbium numerentur: ad omnem igitur illarum intellectum mens accedit, cūm semper ex Alexandri supposito quod intelligitur intellectus fiat. Præterea uel prima causa uerè fit intellectus noster, eua detq; corruptioni obnoxia, quod nephas est uel cogitare: uel intellectus noster fit prima causa, atq; sic erit uerè immortalis, non autem per accidens: eritq; hęc operatio ligno uitæ Moysi admirabilior, cūm mortalis existens, eū illius immortalis efficeretur. Vel dicendū, quod ut Proteus quidam intellectus iste noster modò mortalis, modò immortalis euadat: quare nunquā immortalis factus est, si mori potest: nec rursus mortalis, si non mori potest: uel unum sūt utroq; seruato, idemq; simul mortale erit ac immortale, atq; hoc admirabilius longè sacrificio Eucharistiæ, nos enim in cœlo, ac in terra CHRISTVM esse credimus, ac sub accidentibus panis contineri: hi uerò mortale atq; immortale unum esse dicunt. Est etiam illud aduertendum, intellectum nostrum secundum Alexandri mentem esse accidens quoddam: non enim aliud

aliud est, quàm operatio animæ, fundaturq; in anima ipsa, nec potest dici substantia corporea, nec incorporea: sed Deus undequaq; est substantia, ut nullo modo admittat accidens: quomodo igitur intellectus Deus efficietur? Sed illud postmodum etiam admirabilius est, quòd Deum ponat nos intelligere, mortales omnino existentes: nanq; si de intellectu confuso, & per nomen interpretamur omnes, in hac sumus unione: si autem de perfecto, quis Deum intelligit, nisi Deus ipse: nam qui immortalem, ac diuinum nostrum animum esse credunt, fabulosam cognitionem illam de Deo existimant. Vellem equidem, si uiueret ipse Alexander, paululum ab illo percunctari, an ipse unquam ad hanc tantam sapientiam accessisset, ut Deum agnosceret? Ego sanè cùm multa difficilia ferè in omnibus disciplinis inuenerim, nec quicquam frustra quæsierim quantumuis arduum, atq; abditum, de Deo tamen me tantum scire fateor, quantum ex fide, atq; religione accepi, præterquam quòd sit. Quid igitur impulit hos Philosophos, ut talia dicerent, atq; mentirètur? Nil nisi gloriæ cuiusdam inanis immensa cupido, ut uiderentur omnibus mortalibus ingeniosiores, cùm ea dicerent, quæ alij intelligere nunquam possent. At uerò quàm futilis sit in multis, quæ clara sunt, causamq; habent manifestam, uelut cùm de herculeo lapide nugatur, meum nunc non est dicere: mores enim cum nostro tempore communes prosequor odio, non homines: euexerat illum Antoninus Imperator, uir certè dignus: sed (ut nunc fieri solet)

h 2      princi



principum aut clementia, aut imperitia, prauis homines abutuntur. Ergo cum hanc responsionem Pomponatius rubore dignam uidisset, cum alias in omnibus illum sequatur, aliter respondet, dicens primo, intellectum, qua intellectus est, extrinsecus uenire. Secunda responsio est, quod intellectus etiam, qua humanus est, extrinsecus adueniat, quando-  
Cap. 60. col. 5 quidem ut secundo de Anima, & tertio eiusdem habetur, anima sensitua ab Auerroë censetur fieri ab intelligentia agente: & ad hoc etiam adducit uerba, quæ nos addidimus ex secundo de Generatione animalium, dum de illa loquitur. Non conuenit igitur, & multo minus, quam sensituiam, quæ palam apud Peripateticos mortalis est, & tamen extrinsecus uenit, intellectuiam extrinsecus uenire, & tamen morti obnoxiam esse. Tertia responsio est, quod mens extrinsecus uenit, quoniam cæteris animæ partibus diuinior est, indiget enim corpore ut obiecto in sui operatione, non ut subiecto: non enim organo ullo utitur. Quis non uidet, has omnes responsiones uoluntarias, inanes, & sensus Aristotelis corruptiuas, cuius etiam causa in earum nulla perstat: namque quod intellectus, quo intellectus est, de foris uenit, non est uerum, cum præcedere illum uelit seminis generationem: nam Alexander hunc diuinum solum perfecto iam homine affirmat aduenire. Deinde iam & uirtutem illam cœlestem, quæ nusquam ex mixtione prouenit, non extrinsecus accedere dicit, quanquam & ipsa diuina sit: nam non mentem, sed solam mentem uere diuinam, & extrinsecus accedere uult. Item, ut diximus,

mus, hanc mentem substantiam uocat, primo de Anima: hic intellectus nequaquam est substantia: quare nec corpus, aut semen potest antecedere. Altera responsio prima deterior est: nam cum Aristoteles omnem animam originem cœlestem ducere affirmet, sensitiuam dico, ac uegetatiuam, nullã tamen de foris, ut ille uertit, aduenire, aut diuinam esse, sed solam mētem dixit. Manifestum est igitur, mentem substantiam diuinam, & æternam, secundum Aristotelem esse, atq; extrinsecus accedētem. Ultima responsio uerũ supponit, sed nihil ad rem: si enim anima intellectiua diuinior est, quia in sui operatione non indigeat instrumēto, non tamē necesse est, ut extrinsecus ueniat: quãdoquidem illud extrinsecus uenire dicitur, quod non educitur ex maris semine: tota autē anima, secundũ Pomponatium, ex semine educitur, nec quicquã illi aduenit, nisi accidens: hoc autem nõ potest dici extrinsecus aduenire; nec etiam dicendum est, qđ cognitio æternorum diuinitatē, aut æternitatē arguat, uel ostendat: nã & oculus Solis lucē uidet, ac Solē, & stellas nec ob id simpliciter, aut per similitudinē diuinus, aut immortalis à Philosopho appellatur: nec est, quod intellectũ agentē, mentē exponas, nã Alexander adeptum, & nõ agentē interpretatur, Põponatius intellectũ ipsum: hoc autē, quia nimis absurdũ erat, nullus illorũ ausus est dicere, Deũ siquidem in semē humanũ ingredi: quod si per intellectũ agentem aliquid à Deo tanquã radiũ fluēs exponas, cum id intelligat, & sic sempiternũ, manifestũ est, immortalē animũ nostrũ apud Aristotē censerĩ.

buda

h 3

Secunda

Secunda autoritas habetur primo de partibus animalium cap. 1. in qua cum adducat tres has rationes, si ad naturale spectaret considerare de omni anima, igitur & de mente, quare etiam de omni intelligibili: referuntur enim inuicem quare ceteræ scientiæ à naturali Philosophia essent superuacua. Item de abstractis non considerat naturalis Philosophus, quoniam in ordine ad materiam omnia considerat, à qua illa sunt abiuncta, quare non de intellectu. Tertio naturalis considerat de motus principio: nam omnis animæ pars est principium motus: nam qua uiuunt stirpes, augendi principium est: qua sentiunt belluæ, sentiendi, ac mouendi: Sed qua intelligunt homines, nullius autor est motus: ideo subdit,

Δῆλον δὲ ὡς ὁ περὶ πάσης ψυχῆς λεκτέον. ὃ δὲ γὰρ πᾶσα ψυχὴ φύσις, ἀλλὰ ἡ μόνον αὐτῶ ἐν ἡ ἰσὺ πλείω.

Idest, Manifestum est igitur, non de omni anima dicendum esse, neque enim omnis anima natura est, sed aliqua eius pars, una uel etiam plures.

Manifestum est igitur, hic non intelligentias uocatas eum intelligere, quandoquidem animas illas nondum constet esse: quæ etiam ratio uni conuenit, omnis ratio illi eadem conuenit: at primam partem est humanæ menti conuenire: de illa igitur & reliquæ, & conclusio dictæ sint. Ad hæc non habet, quid respondeat Pomponatius: fingit autem Aristotelem loqui de intelligentijs, quare non obscurum est, illum nihil habere quicquam ueri, uel apparentis, quod adducat, cum aperto mendacio insistat: multa tamen arguit contra illam, more quorundam Philosophorum nostri temporis, qui cum paruo studio uideri uolunt multa scire. Sed aliud

aliud est respōdere, aliud arguere dicta Philosophi: sed de argumētis suo loco dicitur. Multa etiā toties repetit, ut longissimus euadat, inde Sueffano, quod uerbosus sit, obiicit: sed nec sibi omnino cōstat, cūm quæstionē de animi immortalitate problema neutrū statuat. Inde uult, oblitus sui, quod animā intellectiuā immortalem esse, de humana loquendo, repugnet principijs naturalibus: uerum tamē hoc dixit iratus, quoniā de heresi accusabatur. Mirum tamen est, cur dicta manifesta Aristotelis, argumētis ex autoritatibus suis sumptis, conetur oppugnare; nam si fides habēda est dictis Philosophi, cur non credendū adeo claris autoritatibus illius, quas cū multis modis eludat, peruertat, non tamen omnes effugere potest? Si uerò fide sunt indignæ, quanto minus est fidei tribuendū argumētis ex autoritatibus illius, longè etiā à sensu, in quo scriptæ sunt, abstractis, fundamentū uimēq; recipientibus: Sed hæc senex scripsit, & diuturno legēdi labore mēte nutans, cuius indicium est, quod miracula nō solum admittit, sed aniles etiam fabulas, deinde naturalibus causis omnia tribuere conatur, ut in altero leuis, in altero impius habeatur. Nos autē dicimus, quamquā etiā animi immortalitatē tueremur, miracula quidē ad Deū pertinere, sed nō esse Philosophi, qui secundū naturā loquitur, ea admittere: de reliquis autē licere historicis, tū maximè, quod Philosophi nō sint, multa admiranda uoluptatis gratia scriptis suis inferere. Quāobrē Pōponatius, alioqui præclarus uir, ac nostri æuī nō leue decus, in hanc opinionem uoluntate magis, quā iudicio, & ob



nouitatem gloriæ studio delatus esse uidetur. In eandem sententiam adduci solet autoritas secundo

1.Co.26. Physicorū, quæ cūm ad idem tendat, & obscurior multo sit hac, ne morem hominum sequar horum temporum, qui nugis libros replent, cūm contendisse diu fat uideatur illis, eam prætereo.

Cap. II. Tertia autoritas habetur primo Ethicorum, ubi quærens Philosophus, an calamitosa, & prospera ad mortuos pertineant, sic ut ex his beatiores illi, uel calamitosiores euadant? Respōdet tandem post disputationem in hæc uerba ex propria sententia:

Συμβάλλεθι μὲν ἐν τῷ φάεινον τῶν κικμηκίσιμ αἰ  
δυσπραξία τῶν φίλων ὁμοίως ἢ καὶ αἰ δυσπραξία. κα  
αὐτὰ ἢ καὶ πικραῖνται, ὡς τε μήτε τὸς δυσδαίμονας,  
μὴ δυσδαίμονας ποιῆν, μή τ' ἄλλο τῶν τίστων μηδέων.

Id est: Afferre quidem igitur uidentur mortuis felicitates amicorū, similiter autem & calamitates: talia autem, ac tanta, ut neq; felices, nec infelices faciant, neq; aliud horum talium quicquam.

Respōdet ad hoc Pōponatius ex expositione Eurstrathij, Burlæi, & Thomæ, illā autoritatē loqui de hominū opinione, & secundū esse, quod habent in mente uiuentiū, sic ut calamitates uiuentiū amicorū & pronepotū gloriā, & opinionē, quæ de felicitate defunctorū manet, infringāt, & minuāt, uelut Cābylis filij Cyri. Sed nō uidet, hæc respōsionē, etiam cūm sit impudētissima, extorquēs omnem sensum Philosophi uerborum, nihil satisfacere: nam hoc non de pronepotibus tantū quærit, sed de amicis magis, ut etiam de illis concludat: deinde non uicia

via illorum, sed calamitates adducere: cum tamen constet, vitia longè plus ad gloriam prædecessorū lædédam facere, quàm calamitates, ut de Tiberio, ac Augusto, Cōmodo, & Antonino Philosopho. Sed benè illud non uidet, quod ante dubitat, an hæ calamitates ad defunctos perueniant: inquit enim paulò ante,

ἔοικε γὰρ ἐκ τούτων εἰ καὶ διωκῆται πρὸς αὐτοὺς ὅτις ἢ εἴτε ἀγαθῶν, ἢ εἴτε τῶναντίον.

Id est: Videtur igitur etiam si quidpiam ad ipsos perueniat, seu bonum, seu contrarium.

Non igitur de fama & gloria, uel opinione dubitat, nec si non erant omnino defuncti, dubitare decebat, sed ob id, quod recordabatur dixisse tertio de Anima, mortuos non reminisci: uidebatur igitur difficile, quò nam pacto mortui possent uiuorum amicorum miseria affici. Quare Pomponatius cum nihil habeat, nec opinionem Aristotelis intelligat, conuertitur ad argumentandum: nos autem ostendemus, quoniã ut primo Physicorum Cap. 71. dicitur, sermo demonstratiuus omnem ambiguitatem ac difficultatem tollere aptus est, Aristotelem undequaque sibi esse concordem: de Eustrathio, & Burlæo, sibi similes adduxit autores: Thomam uerò miror, quòd inducat, quem nò modò quatuor interpositis uerbis damnat, quoniam non in suam sententiam in alijs exponendis locis uenit, sed ambiguum etiam textum tertij Ethicorū ad immortalitatis sensum de Anima traducat. Alij respondent, autoritates philosophi in libris Moraliū, esse ad institutionem rectè uiuendī, atque ob id mi-

h 3 nus

nus habere ponderis, nam & Platonem hac causa multa eumentum esse, apologosq; illos potius utiles, quam ueros esse. Sed hæc respōtio nulla omnino est, nisi apud illos, apud quos aliquid dicere, est bene dicere: & qui honestam taciturnitatem, atque uerecundam, impudicis postponunt responsionibus: nāque ut reliqua præteream, nullibi locus minus aptus uidebatur, quam hic, ubi de felicitate loquitur: sed ad locū potius de fortitudine, aut temperantia transferenda erat hæc tractatio: nec dici potest, hoc callidiorē consilio factum, ut dolus late-ret magis: nam ad imperitos si scribatur, nihil hac rethna opus est: doctos autem nec hic latebit. Deinde hoc adeo ex contextu claret, ut etiam nihil ad rem talis immortalitas pertinere uideatur: nam Plato ultra immortalitatem præmia addit, & pœnas: hic uero philosophus illud dubitat, nec admodum aperte fatetur, illos incommodis aut commodis nostris affici, superesse tamen pro cōperto supponit: at tertio eiusdem negat mortuos pœna, uel præmio tristari, aut lætari: unde sic inquit, Et nihil post mortem homini bonum, aut malum esse uidetur: quare etiam hic auget mortis timorem, cum hæc præterire potuisset. Manifestum est igitur ex his, hoc dixisse de animi immortalitate, quoniam ita sentiret.

Cap. 2. Quarta autoritas habetur secundo de Anima, cuius contextus talis est,

περὶ ἧς τὸ νῦν ἐστὶ τῆς θεωρητικῆς δυνάμεως, ὅθεν πῶ  
φανερὸν ἄλλ' ἔτι κε γένεθ' ἕτερον ψυχῆς εἶναι. ἐν τῷ  
70 μὲ

ἢ μόνου ἐνδέχεται χωρῆσθαι, κατὰπερὶ αἰδίου  
τὸ φθαρτὸν τὰ ἄλοιπὰ τῆς ψυχῆς μέρη, φανερόν  
ἐκ τούτων, ὅτι οὐκ ἐστὶ χωρῆσθαι κατὰπερὶ φασίπινες.

Hoc est: De intellectu autem & contēplatiua potētia  
nihil adhuc manifestum, sed uidetur alterū genū animæ  
esse, & hoc solum separari potest, tanquam perpetuum à  
corruptibili: reliquæ autem animæ partes, manifestum est  
ex his, quoniam nō ut quidam dixerunt, sunt separabiles.

Hæc cū dixisset Philosophus, Pomponatius  
ad intelligentiarum intellectum suis rationibus ea  
transtulit, non animaduertens sermonis proprietatem  
repugnare: nam dixit, ἐνδέχεται χωρῆσθαι.  
quod est, licet, uel contingit, aut potest separari: ac  
diuini intellectus nequaquam possunt separari, sed  
si uel ut intellectus cōsiderentur, separati iam sunt;  
si ut motores, omnino inseparabiles: quare hæc se-  
paratio, quam cōtingere dicit, de humano tantum  
uera esse dici potest. At uerò ne quis duorum alte-  
rum existimaret, scilicet uel intelligentias ipsas ra-  
tione tamen separari posse ob diuersam considera-  
tionem, aut hanc separationem intellectus huma-  
ni, solum esse ratione, non re, subiicit statim, τὸ δὲ  
λόγῳ ἐπὶ ἑτέρας φανερόν, id est, ratione autem alias esse,  
manifestum: de partibus reliquis animæ loquens.  
Igitur si partes omnes animæ differre possunt ra-  
tione, atque ita, ut subiungit illico, ut etiā quædam  
animalia alias habeant, alijs careant, nec tamen uo-  
cat separabiles illas, manifestum est, illum de huma-  
no intellectu, quod uerè separatur, intelligere: atq;  
adeo manifestum est, hoc de uera separatione, ut

Pompo



Pomponatius pro effugienda autoritate, non de illo suo intellectu chimerico, audet Aristotelem interpretari, sed ad intelligentias protinus confugit, quas nisi omnem sermonis Græci uim conuellamus, intelligere nemo potest, sed quod uerissimilius dici potuit, dicatur dubitater dictum. Verum quod perpetuum sit, quod separatur, affirmare, ac tueri potest: quod autem non separetur, nequaquam. Quare cum ad separationem consequatur immortalitas, in eadem retia incidere uidetur. Illud etiam in rem facit, quod dixit, cæteras animæ partes non licet separari à corpore, ut quidam crediderunt, Platonem digito indicans, qui sensitiuam etiam ponebat separabilem, atque immortalem, hoc autem dicit soli competere intellectiue: quare cum non in modo separationis, sed in re tantum illum arguat, quæ separari potest, manifestum, quod ad immortalitatem & separationem intellectus pertinet, Aristotelem eadem, quæ Plato senserit, etiam sensisse.

Cap. 4. Quinta autoritas habetur in tertio eiusdem:

Τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν ἐκ ἀνδρὶ σώματι, ὃ ἵ νῶς  
χωριστός

Hoc est, Sensituum quidem sine corpore non est, intellectus autem separabilis.

Hoc dictum sua opinione eludit Pomponatius, differentiam dicens inter sensum, & intellectum haud obscuram esse in separationis potentia: nam intellectus sui natura separabilis est, quia omnes præter humanum uerè sunt separati, ut etiam celestium intelligentiarum. Humano autem accidit,  
& si

& si natura sua sit separabilis, ut tamen ob subiectum eius, quod ab anima p̄det, ac deinceps à corpore, ut separari nō possit: ac sensus omnino est inseparabilis natura, cum nullus absq; instrumento, & corpore esse possit: quare ad alias ibidē auctores existētes ueniamus: etenim dicit philosophus,

καὶ αὐτὸς ἡ νοητὸς ἐστὶν ὡσαύτῃ τὰ νοητά. οὐδὲ μὲν γὰρ τῶν ἀνδρῶν ὕλην, τὸ αὐτὸ ἐστὶ τὸ νῦν, καὶ τὸ νόμενον.

Quod est: Et ipse autem intelligibilis est, uelut et intelligibilia: in his enim quæ sine materia sunt idem est intelligens, et quod intelligitur.

Quare iam ipse est substantia aliqua antequam intelligatur, aliter ratio nulla illius est, cur sibi ipsi sit idem, cum per alia manifestissimum sit, intellectum intellectui idem esse: omne enim quod est, sibi ipsi idē est: uoluit igitur, ut intelligeremus ipsum esse, sed materia omni carere: uerū nec hoc aduersus Pomponatium concludit, cum esse possit, ut sine materia existat, sed tamen nihil aliud sit, quam ipsum intelligere, quod etiam ex præcedentibus uerbis apertū est: propter hoc optime Simplicius, ac longē melius Aristotelem interpretatur de intellectu passiuo, quod corruptioni sit obnoxius, quam Themistius, & Auerroës, qui duos æternos in homine intellectus statuunt, agentem alterū, alterū autem patientē. Sed nec auctoritas hæc aduersus nos est, postquam in hos sermones incidimus, qui agentem intellectum tantum, quam etiam mentem dicere solemus, uerē æternum secundum philosophum ponimus: quare de illo philosophus sic

scribit

Cap. 4. scribit paulò post,

Χωριθεὶς ἢ ἐστὶν μόνου, τὸ δ' ἔπερ ἐστὶ, καὶ τὸ μόνου ἀθάνατον καὶ αἰδίου.

Quod est: Separatus autē est hic solus, hoc quod est, atque id solum immortale ac perpetuum.

Impudens sit, hoc exponere de ficta illa immortalitate: neque enim intellectus ipse, qui in homine est, si talis est, qualem Pōponatus prædicat, separatus est, sed separabilis tantum: nec oportuit ultra immortalitatem addere perpetuum, si natura tantum, ac imaginatione, non re immortalis erat. Sed si hæc uerba ad immortalitatem explicandam non sufficiunt, quaeso quibusnam uerbis aut melius, clarius ue ipsi explicabunt, ut non modò uideantur hi contendere Aristotelem hoc non dixisse, sed etiam adimant illi facultatem, ut nullis uerbis hoc dicere potuerit: quandoquidē ego non sciam, quoniam pacto uera immortalitas clarioribus, aut significantiore uerbis possit explicari. Sed si hæc non sufficiunt, clariora etiam, si fieri potest, antea adiecta uerba interpretemur,

Ὁ ἢ τὸ πάντα ποιεῖν, ὡς ἔξισ τὸ φῶς τὸ πᾶσι γὰρ πᾶσι καὶ τὸ φῶς ποιεῖ τὰ ὄντα δύναμις χρώματα ἐνεργεῖα χρώματα καὶ ὅτι ὁ νῶς χωριστὸς καὶ ἀμειβῆς καὶ ἀπαθὴς τῆ ὄσῃ ὡς ἐνεργεῖα αἰετὶ γὰρ ἡμῶν ὡς τὸ πᾶσι τὸ πᾶσι καὶ ἀρχὴ τῆς ὕλης. καὶ αὐτὰ δὲ ἐστὶν, ἢ κατ' ἐνεργεῖαν ἐπιστήμη τῶ πρᾶγματι, ἢ κατὰ δύναμιν γένω προτέρα ἐν τῶ ἐντι, ὅπως ἢ ὁ δὲ γένω, ἀλλ' οὐκ ὅτι μὲν νοεῖ, ὅτι ἢ ὁ νοεῖ.

Hic autem omnia facit, ut habitus quidam, ut lumen: nam

nam quodammodo lumen existentes postea colores, actu colores facit, & is intellectus separabilis est, et immixtus pati; non potest, substantia cum sit actus, semper enim honorabilius est quod agit, patiente, & principium, materia: hoc autem est ipsum scientia actu existens, quod res: quæ autem potentia tempore, prior in uno: absolute uerò neque tempore, sed nō nunc quidem intelligit, nunc autem non intelligit.

Argumentum est clarum, intellectus passiuus, seu patiens, separabilis est, & immixtus: igitur multo magis agens, quod est nobilius patiente. Non tamen sequitur, Separabilis est, & immixtus: igitur separatus & immortalis: nam per patientem intellectum intelligit ipsum lumen, quod quamuis natura sua sit immixtum & separabile, subiecti tamen interitu corrumpitur, sic patiens intellectus: ergo cum idem de agente intelligi posset subiecit uerba illa, quæ antè exposuimus, scilicet declarantia, ipsum esse separatum actu: non separabile tantum, & immortalem: quo fit, ut illum inesse nobis manifestè declararet, cum separabilem dicat: nam si in nobis non esset, non iam separabilis dici posset, sed separatus: uelut Sol oculi comparatione. Cum uerò ultra id, quod est separabile, & immixtum, addit quod sit separatus, & immortalis, ac perpetuus, declarat ueram separationem, ueramque substantiam, ac perpetuitatem: nam nullum accidens separatum dici potest, uix autem ratione ipsa separabile: ergo per patientem intellectum, qui corruptibilis est, intellectum, ac animam rationalem. Pomponatij intelligit, in qua ille decipitur: nam agentem



rem uult esse rationalem animam. Melius tamen Pomponatius Auerroë, Themistio, & Simplicio, Aristotelem interpretatur: qui ambos immortales uerè, ac separabiles, quasi separatos posuere: cum patiens apud philosophum uerè corruptioni obnoxius sit, & si secundum quid, ut dicunt, separabilis sit, atque immixtus. Verùm Simplicius propinquius accedit ad ueritatem, cum et si corrumpi illum non fateatur desinere, tamen eum non neget. Hoc autem cum sit nimis superstitiosum, inferius quomodo intelligi debeat clarissimè declarabitur. Verùm si hæc adhuc non sufficiunt, ultima tãdem illius uerba consideremus, ea autem sunt hæc:

Ὁν μνημονόνορον δὲ, ὅτι τὸ μὴ ἀπαρτὲς,  
δὲ παρτιτικὸς τὸς φεαρτὸς, καὶ ἀνδρὶ τὸ τὸν  
ἄδερ νοῦ.

Quod est: Non recordamur autem quia hoc expers est affectus, patiens autem intellectus corruptibilis, & sine hoc nihil intelligit.

¶ Quasi dicat, agens intellectus est affectus expers omnis, patiens autem corrumpitur in morte, ideo agens recordari non potest: nec merito sui, quia pati, aut recipere quicquam, non est aptus: nec patiens ratione, quia ille corruptus est. Ex his uerbis plura debent intelligi, quæ nunc partim dicam, partim suo loco referuabo, inferius tamen dicenda. Primum quidem, constare nostrum intellectum agentem uerè esse immortalem: absurdissimum enim, & cerdone, non principe philosophorum dignum, quærere, an recordemur post mortem, si a morte

morte nihil uerè superest. Deinde in responsione patientem intellectum mori affirmat, ac corrumpi: qui tamen, si de corruptione, ut intellectus est, loquamur, illi non est obnoxius, nec secundum Pomponatium, nec secundum Alexandrum. Agens igitur intellectus, non quatenus intellectus est, sed uerè superest. Deinde quid hoc est, quod nihil intelligit: cur aliena est quærenda causa, si ipse non est? Meminit Augustinus Eugubienfis uidisse codices, quibus annexa erant hæc uerba, **P O S T M O R T E M**: ut legatur sic, Non recordatur autem post mortem: atq; id iure legi debet, cum Simplicius etiam sic interpretetur, & ratio ipsa suadeat: nam quomodo patiens intellectus corruptus esse potest, nisi in morte: quare nõ multum refert, addantur ne illa uerba, cum ex ipso sensu necessaria appareant. Alterum quod sequitur, est: Intellectum agentem nostri esse partem: nam cum dixisset, nos non recordari: respondit, quia intellectus agens nihil intelligit: quare nostri reliquum putat esse agentem intellectum, tanquam partem principalem. Adducit etiam causam, ipsum per se nihil intelligere, nec adiuuari à patiente: quæ questio prorsus nulla, si intellectus agens nostri pars non esset: nam uitiosum est, causam assignare deficientem, ut in Analyticis habetur: quæ tamen si adsit, nihilominus adhuc quæstionis ueritas non uarietur. Igitur etsi patiens maneret, & agens per se intelligeret, non tamen recordaremur ubi agens intellectus non esset nostri pars: aut si id fieret patientis merito, quorsum attinet dicere, agentem sine illo nihil intelligere

i ligere

ligere: sufficiebat enim dicere, patiens corruptus est, quare non reminiscimur. Neque uero de belluis hoc quaerit, quarum tamen anima solum per accidens corrumpitur: nec de luce solis, corrupto oculo, & si per illam oculus uideat, an animal uideat, quia lux solis uideat, uel non uideat oculo eruto, quia lux solis ipsa non uidet. Tertium est, quod passius, seu patiens intellectus non uere est immortalis, sed ut intellectus est: unde mala interpretatio Auerroem fecellit, si namque solus agens immixtus est, atque separabilis, ut secundo de Anima habetur, patiens etiam sit immixtus, & separabilis, corruptioni tamen est obnoxius. Quartum est, cum dixit, agentem esse separabilem, ab homine intellige: cum autem separatum, a materia, non ab homine. Haec sunt auctoritates firmissimae, immortalitatem animi ex uerbis Aristotelis ostendentes: quae subsequuntur, non adeo clare id ostendunt, neque duae illae primi libri de Anima, quae responsiones potius sunt, quam determinationes, nihil enim ibi tanquam determinatum sumi debet, nisi quantum ad antiquorum pertinet opiniones. Ceterum cum rationes eius ibi ambas superius tractauerimus, non adeo fauentes parti immortalitatis tantum, quantum Pomponatius mortalitati, qui ex una auctoritate obiter ibi dicta, tanquam diuino quodam oraculo innumeram erigit fundamenta, quae tamen, admissio etiam illius intellectu, secundum Pomponatij interpretationem immortalitatem concludunt, ut inferius in declaratione opinionis Aristotelis ostendam. Verum nunc facis sit dixisse, Pomponatij fundamenta de patiente intel

intellectu esse: imò nos, quod nititur probare, libenter admittimus: agentem autem intellectum nullo modo per se corpore, uel ut subiecto, uel ut obiecto indigere, sed patiente tantum, ad hoc ut intelligat: hic uerò corpore ut obiecto tantum opus habet.

Sexta autoritas habetur x i 1, primæ Philo-  
sophiæ, ubi Philosophus declarans formas non præcedere composita, quærit etiam, an manere possint post illa: & ostendit ad hoc his uerbis, *ἐπὶ ἐνίῳν γὰρ ἑστίν καλύει. οἷον ἐστὶ τὸ ψυχὴ πνεῦμα, μὴ πᾶσι, ἀλλ' ὅτι πᾶσι γὰρ ἀδύνατον ἴσθαι.* Id est: In quibusdam enim nihil prohibet, ueluti si anima tale sit, non omnis, sed mens, omnem namque fortassis impossibile. Huius textus difficultates callidè extulit Pomponatius, ut qui uideret pro sua opinione illos esse: nam si mens non antecedit hominem, nec uerè subsequi potest: quod enim ingenitum est corrumpi nequit, atq; uersa uice incorruptibilia etiam omnia apud Aristotelem æterna. Si igitur mens cū homine exoritur, solum post mortem manet ea ratione, qua intellectus est, quare sic concluditur propositum. Sed nunc planè uerum est, quod Galenus dixit, eos, qui sectis addicti sunt, constantiores esse discipulis CHRISTI, ac Moysi: an ne adeò cæcus est Pomponatius, ut non uideat, eam autoritatem, quanquam pro nobis non sit, nulli tamen opinioni magis, quam suæ aduersari: nam si de intellectu loquitur, & sua ficta immortalitate Philosophus, quid attinebat aduerbium ἴσθαι, quod est fortassis, addere: an non declarauerat, omnem animam ea ratione superesse corpori

i 2 corpori



corpori, ac immortalem fore: tum uerò quid hoc  
 uti dicendi modo, *ἡ ψυχὴ ἀθάνατος*. nam apertè dicere po-  
 terat illam manere, nisi & illud in dubio uertatur,  
 an intellectus ipse, qua intellectus est, corruptionis  
 expers sit, quod tamen nec Alexander, nec Pom-  
 ponatius negat. Deinde quomodo talis intellectus,  
 cùm sit accidens, forma substantiæ dici potest me-  
 ritò ab Aristotele: nam qui talem ponunt intelle-  
 ctum, non eum debent hominis formam uocare:  
 imò si Alexandro credimus, talis intellectus, ut  
 etiam patet experimento, si nihil aliud est, quàm  
 operatio, non nisi iam perfectò homini accidit,  
 quo nam pacto illius forma esse potest? nunquam  
 enim ab Aristotele conceditur, formam postero-  
 rem esse composito, sed natura præcedere, tempore  
 autem simul esse. Illud uerò inexcusabile est,  
 quod si de intellectu intelligit, ut huius hominis,  
 non antecedit sanè ipsum hominem, sed nec subse-  
 quitur: si autem ut intellectus est, incorruptibilem  
 illum esse fateor, sed etiam eadē ratione æternum,  
 atq; ideo corpus præcedere: quare dubiè loquutus  
 est, illud tamen uolens, quòd mens, seu agens in-  
 tellectus ut forma est, non præcedit, sed tamen præ-  
 cedit. Fit autem hominis forma, & manet non am-  
 plius forma existens: Sed tamen hæc propositio  
 uera est, Forma hæc (mentem demonstrando) ma-  
 nebit: non tamen est completa forma: nihil autem  
 interest inter hoc, quod subsequatur, & quod præ-  
 cedat, nisi quia nondum nomen, aut relatio acqui-  
 sita sunt, antequàm homo generetur, post autem  
 ambo acquirit. Quæstio igitur logica est, nec  
 multi

multi ponderis: quæ etfi multis argumentis tentari possit, quia tamen & Philosophus eam leuiter, ac dubie attingit, ideo nobis hæc sufficiant: tum maximè, cum nulli magis opinioni, quàm Alexãdri, & Pomponati, hæc autoritas aduersetur.

Septimam autoritatem quidam ex secundo de generatione & corruptione afferre solent, ubi Aristoteles contra Empedoclem de anima disputans hæc habet, uolens illam docere nec elementum esse, nec ex elementis: Porro absurdum est, animam ex elementis constare, aut elementorum aliquod unum esse: quomodo enim animæ alterationes, ut musicum esse, & rursus non musicum, aut memoria, uel obliuio erunt? Perspicuum enim est, quod si anima ignis sit, eadem illi quæ igni, ut ignis est, affectiones competunt: si uero ex elementorum mistura corporeæ, at harum nulla corporea existit. Liceat admirari hîc Suesani leuitatem, qui hanc autoritatẽ pro intellectus immortalitate adducat, adeò impertinentem, ut risum Pomponatio moueat: nam ratio hæc (ut reliqua prætermittam) non de intellectu tantum, sed de omni concludit anima: at nec de illa immortalitatem ullam, sed solum, quod nec elementum, nec ex elementis. At nos iam declarauimus, uirtutem esse mistam, nec tamen ob id sequitur eam esse immortalem, imò etiam cum illud ostenderimus hanc temperaturam seu actum cœlestem iam recepisse impressionem, ut in prima autoritate docuimus: quare inanes has nugas horum profitentium prætermittamus, qui ut uelint scire uideri, adeò impertinentes in medium auctoritates

tates adducunt, ut non solum non probent, uerum aliarum fidem infirment: quis enim iure putet, in tanta copia manifeste probantium autoritatum, his omnino ad rem ipsam nihil facientibus opus fuisse? Similis autoritas, sed tamen magis ad rem, habetur x x x Particula problematum: quærit enim, Cur iustius habeatur apud homines, defunctis opem adferre, quam uiuentibus? Respondet: quoniam uiuentes sibi ipsis præsidio esse possunt, defuncti nequaquam. Igitur & per præsidium adferre, & non posse mortuos, uidetur mortuos superesse Philosophus affirmare: uerum hic quia seu mortui sint, seu non, pietatis tamen ratio constat, atque ideo problematis solutio nihil concludere uidetur. Attamen si mortuos esse non existimabat, dicere potuisset in responsione, quoniam uiuentes retribuere beneficiis possunt, mortui nequeunt. Verum quia problemata potius à discipulis, quam ipso collecta Aristotele uidentur, nil mirandum, si minus diligenter scripta habeantur: quod fit ut nec in illis enarratis Græco sermone uti uoluerimus, satis ducentes, emendatam esse interpretationem: quod uero in rem facit ex x x x. particula hic subiiciam.

Probl. 4. Octaua igitur autoritas ex problematibus, Alexandri & Pomponati figmentum oppugnat. Quærens enim Philosophus, cur senes sint mente ualidiores, iuniores autem promptius, ac celerius discant? Respondet hoc ideo esse, quia natura duo nobis dedit instrumenta, manus, & mentem: & ne obliuisci nos fineret, iterum repetit his quasi uerbis: Est enim mens rebus à natura nobis datis annumeranda, uicè sanè in  
stru

strumētī gerens; cæteræ omnes scientiæ, atq; artes, nostra opera sunt, mentē ipsam naturæ opus esse fatendū est. Et paulò infrà adhuc: Est enim mētis instrumentum scientia, mētī nanq; utilis scientia est, ut tibi cinī tibia. Vltimo quæ subiungat in rē addere his cōueniens esse puto, dicit enim, Mens igitur ea de causa nobis senioribus potius contingit: discimus autē ocyus iuniores, quia rem fermē nullam tenemus: cū enim res pleraq; scimus, non æquē præterea res alias capere possumus: quomodo etiā meminisse melius ea ualemus, quæ mane primum percepimus, deinde procedente die memoria hebetamur, quia multa iā perreptauius. Vult autem nos melius ualere seniores mente, quoniā scientia, quæ mentis est instrumentum, senibus iam melius accessit. Igitur intellectus noster, quē in Græco, codice *νῆν*, ut etiam alibi dicit, opus naturæ est, non ipsa operatio, & operatione prior, nec nobis senescentibus senescit. Et qui hunc Aristotelis textum considerat, planè mētem rem naturalem, & instrumentū, atq; substantiam, non intelligendi actum, aut animam forma intelligendi iam absolutam esse uidet: tum uerò maximè, cū dicat, naturam dedisse *σάμια ἰδὴ καὶ φασ, τὸν χεὶρ ὃν νῆν*. Vel igitur animam, uel perfectionem intelligere necesse est: animam quidem non: nam illi dari mentem dicit, igitur perfectionem: hæc autem scientia esse non potest, tum quia scientia non est opus naturæ, sed hominis, tum quia dicit mentis instrumentum esse animam.

Nona autoritas habetur septimo Ethicorum Iuxta finem.

i 4 ad Eu



ad Eudemum: quærens enim, quò nam pacto fortuna aliquibus suffragetur, principiumq; docens esse ex anima, sic inquit:

Τὸ ἢ ζητούμενον, τὸτ' ἐστὶ τίς ἢ τῆς κινήσεως ἀρχὴ ἐν ἢ ψυχῇ. Διήλωσεν δὲ ὡσαύτως ἐν τῷ ὅλῳ Θεός, καὶ πᾶν ἐκείνω, κινεῖ γὰρ πῶς πάντα τὸ ἐν ἡμῶν θεῖον, λόγος δ' ἀρχὴ ἢ λόγος, ἀλλὰ τὸ κρεῖττον. τὸ ἢ ἢ κρεῖττον καὶ ἐπιστήμης ἐπιπέσει, πλὴν Θεός.

Est autem sic Latine: Hoc autem quaesitum tale est, quale de motus anime principio. Manifestum est autem, quemadmodum in uniuerso Deus, et omnia in illo, mouet etenim omnia, quod in nobis diuinum est: rationis autem principium non ratio, sed prestantius aliquid. Quid igitur scientia prestantius dicitur, præter Deum?

Non obscurum est ex his, aliud rationem, & scientiam, aliud principium quod in nobis est omnium existimare. Hoc autem principium diuinum esse uult: nanque qui dicunt, intellectum sic uocatum diuinum esse, ad id agunt Aristotelem, ut nihil doceat: aliud enim intellectum, & mentem, aliud scientiam & intellectum, quo intelligimus, facit. Stultum enim est diuinum toties appellare, quod corruptioni obnoxium sit, cum nemo tam absurdus sit rusticus, qui non intelligat intellectum ipsum in homine diuinitati cuiusdam esse simile, uel hoc saltem, quod omnes mortalium, animantiumq; facultates, atque cognitiones superet: quò nã igitur euadet tãti Philosophi ratio: Simile penè

penè habetur Ethicorum decimo, cum dixit: Per- Cap. 7.  
fecta felicitas hominis sumpta si fuerit, profecto  
etiam à longitudine uitæ perfecta, nihil enim felicitatis imperfectum est: talis autem uita naturam hominis superat. Non enim hoc ipso, quo homo est, ita uiuet: sed quo in ipso quid diuinum est. Quantum igitur hoc ab ipso cõposito differt, tantum & huius operatio ab ea distat, quæ à uirtute alia proficiscitur. Quòd si mens diuinum ad ipsum hominẽ est, & uita quæ ab ipsa manat, diuina est, ipsius humanæ uitæ comparatione. Ego cum hæc cogito, tum aduersantium huic opinioni pertinaciã, nihil aliud intueri uideor, quàm illos, qui paupertatem plusquam diuitias laudant, stultitiam supra prudentiam, & morbos super bonam ualitudinem extollunt; quãquam enim ingeniosi uideantur, nemo tamen est, qui non aperte intelligat, illos mentiri: & si facilius sit, eas causas defendere, quàm Aristotelem in sententiam mortalitatis animi trahere posse. Nemo igitur Parisiensem synodum, aut Scotum, uel Britonem, Gregorium Nicenum, uel Augustinum, aut Gregorium Nazianzenum, Alexandrum uel Aphrodiseum obijciat: quin etiam Conciliatorem huius opinionis fuisse puto: nam quòd dixerit animum humanum esse mortalem, accusatum ipse se refert: sed & Galenus, sed & Plinius hoc existimant, quamuis de Aristotele quòd hoc senserit, nihil prorsus dicant. Sed audi quæso, unde hi uiri in lapidem impegierint, quantaq; fides his circa Aristotelis interpretationem sit adhibenda. Nanque Augustinus putat, Aristotelem crede-

re animam humanam esse corpus, facile est ex hoc intelligere, illum ne Aristotelis membranas uideret. Nec magis oculati duo Gregorij, quamuis sancti alioqui: quid enim cum uitæ sanctitate doctrinæ peripateticæ? Porro quis hos homines tueatur, aut ferat, qui tot existentibus difficultatibus in tanta causa, qualis de immortalitate animi habetur, tam inconsultè iudicium ferant, ut homines illos Aristotelem totum euoluisse existimarent. Parcendum est Alexandro, parcendum est Scoto, ac Pomponatio, qui etsi aberrauerint, plurimum tamen laboris insumpsisse in exquirenda ueritate uisi sunt: sed Alexandrum gloriæ cupiditas impulit, ut cum Plato immortalem dixisset animum, Theophrastus quoque idem ex Aristotelis sententiâ affirmasset, melius Aristotelem discipulo suo Theophrasto intelligere uideri uoluit, ac simul Platonicos in certamen cum Peripateticis committere, ut fora singulis diebus in re tam magni momenti resonarent, Alexander dixit, Argumentatur Aphrodisæus. Verum Ioannem Scotum nihil magis adiegit ad immortalitatem negandam, studio contradicendi beato Thomæ, ac et si nunquam illum legissem, ut primum scirem Thomam immortalem illam pronuntiasse, illico quid Scotus dicturus esset, diuinarem; maluit etiam hac in re Auerroï contradicere, tum ferè nouæ opinionis inuētor esse, cum Albertus & ipse immortalē asserat, & Aphrodisæus, qui uix nūc in lucem exesus, ac paucis cum membris euasit, tunc nullius pretij haberetur. Verum decebat tamen, ut Alexandrum, & Pomponatium

natum rem hanc dilucidius explicare: sed confusus ingenij sui perspicuitati, cum longè melius propria moliretur, quàm interpretaretur aliena, sententiam uerisimilem prætermisit, absurdam amplexatus est: erat autem uerisimilis sententia Scoti, hoc modo si probata fuisset: Si principia Aristotelis sequamur, animam potius cogimur humanam mortalem dicere, quàm immortalem. Veruntamen si ex uerbis illius sententiam uenamus, proculdubio credendum est philosophum animam intellectiuam immortalem existimasse: sed nõ sic protulit sententiam, uerum his uerbis penè. Non omnia uerba, etiã assertiuè prolata à philosophis, sunt probata per rationem naturalem, sed frequenter non habebant, nisi probabiles persuasiones, uel uulgarem opinionem præcedentium philosophorũ. Iam enim dixerat antè, rationes illas apud philosophum pro mortalitate cõcludere, unde mortalitatem demonstrationibus tribuit, immortalitatem illi, tanquam ex præcedentium philosophorum sententia, non propria loquenti: cum tamen, ut ostendimus, manifestè pateat, & clarè, Aristotelem hoc dixisse, & sæpius, nec ex ullius philosophi præcedentis opinione, cum illis aduersaretur. Causã tanti erroris fuit, quòd hæc duo quæstia confuderunt, quid senserit Philosophus: quid ex ratione naturali sit manifestum. Peccauerunt autem in utroque, timentes dicere, Philosophũ aliquid aduersum rationes naturales sensisse: nam & de philosopho aliena existimauerunt, cum alij in opinionẽ mortalitatis illum traxerint, alij ambiguũ eum fecerint, dubiãq; sententiã



rentiæ:cùm tamen,ut sæpius etiam diximus,ne uel unum locum possint ostendere,in quo uel intellectus mortalitatem agentis,uel obscure innuerit,uel illum esse animæ nostræ opus, aut ab animæ nostræ substantia alienum. Herueum autem Britonem,& Cõciliatorem ne mihi commemoros,nam si de autoritate certandum est, Ioannem Chrysoftomum longè plus his omnibus magnifacio. De synodo Parisiensi nihil mirum: pontifices hoc uideant, qui dum per impulsum homines ad summos euehunt honores,non ex uirtutibus,synodos etiam constituunt ex his, qui ut diuitijs, & gratia, ac magistratu pollent, sic etiam in eruditione primas sibi uendicant partes, inde grauissimi errores exoriuntur. Sed iam penè suo malo plectuntur. Hæc enim quanquam (ut Philosophus rectè dicebat) parua in principio sint, maxima tamen euadunt in fine:sic minimo errore legati tota Germania à religione abalienata est: sic supra synodos synodus, & super concilia concilia. quare ne illud etiam nobis periculum adiicitur, ut pro fidei articulo credendum cõstanter sit, Aristotelem uoluisse animum humanum,uel unum in omnibus hominibus tantum esse,uel esse mortalem.Plinium relinquo, qui Solem & astra putat ignes à terra eleuatos. Dii boni, ne huic homuncioni naturalium rerum iudicium crediderim:cùm etiam Aristotelem legisset, adeo obefæ Mineruæ fuit. Pomponatius de gloria decertat. Sed ne his merito contuleris Theophrastum, Themistium, Simplicium, Ioannem Gramaticum,Auerroem,Auicennam,Algazelem

zelem, Thomam D. D. Albertū, Michaelē Ephe-  
sium, omnes denique Peripateticos alios: ac ut Pla-  
tonicos, de quibus iam satis dictum est, nunc præ-  
teream, philosophiæ principes, qui omnes unâ sen-  
serunt, animam intellectivā non solum apud Ar-  
stotelem, quod manifestissimum est, immortalem  
censeri, sed etiam secundum Peripateticorum prin-  
cipia dici debere.

Ergo Theophrastus ex Themisti relatione *ὡς  
δ' ἔρ' ὅς ἀ-ἰνητὸς, ὑπερ' ἀφθαρτος. ἐν ὑπάρχων δ' ἔρ'  
διὰ τὴν ἀει ἢ διὰ τὴν λόγην καὶ ἀπάτην ἢ διὰ τὴν μίξιν,*  
Nimis superstitiosum existimo Græca ex his refer-  
re, quos non obscurum est, quid dicant, sed potius  
repetentes clarā de hac re sententiam proferunt  
tum maximè, cum præter id etiam diligentissimè  
Latinis reddita sint. Sufficiat igitur nunc hæc in-  
terpretari, reliqua Latine addantur. Dicit igitur  
Theophrastus, Videtur igitur tãquam ingenitus,  
si incorruptus, assistens uerò cur non semper mo-  
uet, aut unde obliuio, & deceptio, an ob permixtio-  
nem? Et rursus ex eodem: Cum intellectus homini  
extrinsecus accedat, cumq; tanquam appositus, in-  
uectusq; sit, quæritur, quemadmodum cõgenitus  
nobis dicatur? demum, quæ nam confirmatio, na-  
tura'ue illius sit? Certè id quod dicitur, nihil esse  
actū intellectum, ad potestatem si referatur, omnia  
rectè hætenus dicuntur, quatenus & in sensu. Non  
tamen eò usque ad uiuum res est resecanda, neque  
tam nihil actū probandus, ut neque ipse sit: calu-  
mnia hæc esset, & oratio cauillo proxima. Sed in-  
telligendum, ut in animo talis sui generis potentia  
sit pro

fit pro formarum gremio, qualis in rebus materia constantibus facultas illa est, quæ constitutioni earum infertur. Porro quod dicitur, mentem extrinsecus accedere: non ita statuendum est, ut uere appositus, inuectusq; habeatur: sed qui statim ab ortu comprehendere nos soleat. Item, quò nam pacto res efficiuntur intellectæ, & qualis passio ea uideatur: necesse est enim, ut afficiatur animus, ac quasi patiatur, si prodire debet ad gestionem, quemadmodum sensus: sed cum incorporeus sit, quò fieri potest, ut patiatur, uel immutetur à corpore? utrum etiam ab illo, an ab ipso principium esse putandum est? Planè cum nihil à se ipso patiatur, ipsum pati à corpore uideri potest ortum habere. At uerò causam præstare omnium actionum, id est ut res intelligatur, uel non intelligatur, quemadmodum & in sensu perspicitur, ab ipso intellectu utique proficisci uideatur. Illud Hercules per absurdum forte sit, intellectum, qui naturam materiæ refert, nihil ipsum esse, sed tantum potentia omnia continere. Hæc cum Theophrastus dicat, qui tãdiu Aristotelem audiuit, quem ferunt etiam à pedibus illius cubare solitum, cui scholam ille reliquit: nunquid etiam ad hæc habet Pomponatius quid respondeat, intellectus ille agens de foris uenit, & nobiscum connascitur: non igitur anima est intellectiua actibus formata intelligendi, cum ea non nisi tempore perficiatur, nec tamè sit agens intellectus, hunc tamen solum mentem Aristoteles uocat, hunc de foris, ut ille uertebat, uenire affirmat: non passiuum intellectum de foris uenire dicit Theophrastus

ftus. Sed in re adeò clara longiusculi facti sumus. ob hominum stulticiam, qui magnis nominibus, non rebus ipsis fidem habent.

Sequuntur autem Themistij & Simplicij autoritates, quæ de agente non discrepant, patientē uerò etiam faciunt immortalem. Sed cum nemo neger, illos cum nouis de agente concordare in immortalitate, extentque eorum libri apud omnes, tam clare hoc affirmantes, superfluum duxi ex his quicquam adijcere. Michaëlis Ephesij uerba tantum subiungere libet: ea autem x. Ethicorum super illud Philosophi, βέλταρον μέρους ὁ νῦν ἢ μὴν. Sic Latine translata se habent: Particulam inquit meliorem, & hominem dicit mentem nostram. Siquidem uerum, & maximè hominem in rationali uita constituit, eumque duplicem: alterum ex rationali anima, & corpore, cuius beatitudinem definiuit in magnis Moralibus, & in primo huius operis libro, uere secundum uirtutes. Alterum autem qui primò, & uerè homo sit, mens nostra, de qua prosequens disseret: quicquid autem hoc est, à corpore segregatum est. Et ex his item fit perspicuum, Eos, qui dicunt, Aristotelem opinari animam mortalem, nihil uerè loqui. Sed tamen hic forsitan & Philoponus, ac Thomas, tum Albertus parum nobis fauent, quoniam nimis apertè tum etiam, quòd ne religionis amore moueantur, suspicari quisquam possit: nam Thomam, & Albertum, ut qui in diuos referantur, nemo est qui ambigat, illos fuisse religiosissimos: Ioannes Philoponus Alexandrinus contra Proclum, & Seuerum multa pro christiana

na



na fide scripsit, ausus etiam mundi ortum asserere, quod quàm piè, nemo dubitat: quàm peripateticè, omnes intelligūt: mihi unus Theophrastus sufficit pro omnibus in Aristotelis sententia declaranda, alios autores ad pertinacium uirorum retundendam petulantiam adiecimus, quanquam adeò clara sint in hac disputatione uerba philosophi, ut nullo (ut diximus) iam interprete indigeāt: quin & ipse Aphrodiseus quasi ueritate ipsa rei cōuictus, in hunc modum problema conscripsit, uolens rationem reddere, cur temperatura corporis ad animæ operationes sit necessaria. Animam rationalem per se quidem immutabilem, facultate manentem, assequutam actum propter immortalitatem, nactamq; rursum organum aptè dispositum, facultatem ad actum probè deducere. Hoc autem, ut uisum est, de omni concludit anima, dissolutumq; prius: sed tamen non id uerum est, Alexandri pace: nisi hoc intelligatur, quòd anima ipsa rationalis habeat impressionem illam cœlestem, per quam semper manet, nec uitiatur organi intemperatura. Hoc autem ex animæ substantia pendet, & (ut declaratum est) cōmune omni animæ: quare non ad uim rationis, aut immortalitatem referri debet, quæ ex opinione Alexātri soli intellectui competit, atque ei, ut actioni, uel affectui cuidam, non substantiæ, nec uerè, sed secundum similitudinem: quamobrem plus ad Alexandri inconstantiam ostendendam, quàm ad declarandam Philosophi mentem, hæc autoritas facit. Sed iam tempus uidetur, ut rationes, quibus ad tantam rem asserendam

asserendam Philosophus deductus, imò compulsus est, in medium proferam.

*Rationes Aristotelis pro animi  
immortalitate.*

**E**T enim quid eum coegerit, cum tot, tantasq; <sup>x x i i.</sup> uideret difficultates, neque enim quicquam eorum, quæ diximus, aduersus animi immortalitatem Aristotelem præterijt, confiteri tam apertè animi immortalitatem, non enim leue aliquid existimandum est, dicendum nunc puto. Nanque plurimos, imò omnes expositores hac in re, non solum inter se discordes, sed etiam indigna tanto Philosopho sentire uideo: illorū autem neminem, pro superi, illius mentem intellexisse. Alius mortalem eum credidisse affirmat, alius inconstantem, cum nemo firmior, nullus cautior extiterit in scribendo. Mortalitem uerò adeò semper in hac causa exhorruit, ut ne unquam in scriptis suis uestigium reliquerit. Quid igitur mirum, etiam nunc philosophos nostri æui supercilio intolerabili nihil scire, sed perstreperè, nullisq; conuinci rationibus, etiam si demonstratiuæ sint. Sufficit enim ne quis in hominum turba, aut coram adolescentulis posterior dicat, aut ut nugetur copiosius: quin etiam, ut admirabiliores uideantur, ea dicunt, quæ nec intelligunt ipsi: nanque alios quis credat intelligere, quæ illi, qui dicunt, haud percipiunt, consulec; nullo consensu proferunt, ut docti uideantur, imitantes obscuritate uerborum meliores, sed non inanitate sententiarum. Alij ex his, prauos  
k           semper

semper,ambitiososq; ac nugaces appello, non putant se philosophos,ni primùm hæreticos, ac flagitiosos se ostentent,adinuenère etiam uerba inusitata, ut postquam nihil sani,nihil ueri proferunt, barbarie incondita ab eruditis se tueantur. Qua de causa non purum dicendi genus nos seruare uolumus,ne illorum socordiam atq; ignauiam imitati, non tam eorum imperitiam arguere, quam reprehendi ab illis posse uelle uideremur. Ergo,ut ad tractationem ueniam, cum non tantum flagitiosa horum ignauia,atque superbia à proposito, quantum me fatum quoddam,quò adigi me sentio, reuocauerit, non secus Aristotelem in animæ rationalis enucleanda immortalitate,quàm Archimedem in Spheræ, atque Cilyndri hemiolia ratione demonstranda processisse uideo. Hic enim admirandum Theorema,ac basim multarum contemplationum omnibus neruis, multisq; problematibus ac rationibus construxit; ille omnium naturalium cõsiderationum finem, ac perfectionem, cum uideret esse rationis participem animam, ad illam declarandam omni studio, & multis demonstrationibus conuersus est; neque enim diuina, nisi tenuiter nobis patent, neque in humani nostri intellectus substantia quicquam nobilius est, aut scitum iucundius. Quamobrem nil mirum, non solum diligenter, atque studiosè de illo, sed etiam longa præter suum morem oratione tractasse. Quid enim, ut quidam fabulantur, illum adlegit, ut tam admirabilis rei inuentor diceretur; an timor legum; an populi uerècundia; an ambitio nouitatis? Cum  
Plato

Plato ante ipsum iam animum dixisset esse immortalem: ipse uero nec Deorum, nec originis mundi, quæ ad pietatem tunc pertinere uidebantur, ullam rationem habuerit. Secundo etiam primæ philosophiæ leges irridet, puerilia, & fabulosa illas continere dicens: quod quæ maius est, referunt, sacra Cereris illum pellici mortuæ factitasse, ob quod etiam crimen in exilium actum in Eubœam ex Athenis: sed certum uidetur, ob religionem speratam Academia pulsum. Itaque quod sensit, scripsit, neque in gratiam cuiusquam, aut ob spem, uel metum: quandoquidem nec felicitatis, nisi tenuiter, aut miseriam post mortem meminisset: & palam secundo primæ philosophiæ atque audacter in omnes leges inuectus sit, fabulas eas appellando.

Quæ autem in rem faciunt hæc sunt: Inspectum quod haud dubium est in homine plurimas esse facultates, uiuendi, sentiendi, imaginandi, memoriæ, rationis, impulsus, uoluntatis, intellectus: atque hæc omnia quidem homini inesse propter animam, cum inanima omnia prorsus his careant: cernebat etiam, quæ uiuebant, principium habere quoddam in se, quo alerentur: at contra, quæ anima ipsa carerent: ob id igitur, libro de Animalium motu, Inanimata exteriore principio moueri dixit, animata interiore: mouentur etiam quæ animam habent ad omnes differentias, atque in ambitum quasi circulari motu, seu cum augentur, seu cum nutriuntur: quod fit, ut uel ex omnium elementorum uiribus consent, uel etiam cœlestem

k 2 aliquam



aliquam habeat facultatem. Sed postmodum cum in unoquoque uirtus sibi simile generandi indita sit, ubi tot instrumenta, tot functiones necessariae erant, diuinam quandam, ac coelestem in omnibus uirtutem affirmavit, ut in secundo de generatione Animalium ostendimus, quam etiam in secundo Naturalis auscultationis asserere uidetur. Itaque haud dubium est, cum coelestia omnia natura sua sint immortalia, hanc uirtutem alicuius immortalitatis esse participem. Sed quia non secus, ac in aere Solis lumen coelestis illa uis est in corpore nostro, cum quoddam sit accidens, nec per se subsistat, subiecta re corrupta corrumpitur: sic lumen aere permutato, uel corrupto, uel obice interiecto: sic uis illa diuina corpori quadam solum similitudine inhaerens, eo corrupto dissipatur, atque dissipatur. Hoc igitur primum est eorum, quae Aristoteles non dubie animaduertit.

Post sensus ipsos exteriores contemplatus aliquid etiam dignius, quam quod uiuerent, habere cognouit: nam sensum a materia seiunctas formas comprehendere pronuntiavit, secundo de Anima, atque ob id non sentire plantas, nihil enim habent illae, quod a materia uel separari queat, aut sit separatum, nec tamen ab omni materia illi separant, sensus dico, sed ab ea tantum, quae corruptioni subiacet: nam longitudinem, latitudinem, ac caetera accidentia, quae etiam cum materia coniunguntur, sensus apprehendunt: diuinius igitur aliquid habent sensus, quam animae uiuentium: quam ob causam non solum Plato belluis animorum

rum concessit immortalitatem, sed Philosophus ipse illis meliorem immortalitatis rationem tribuit, quam eam, quæ uegetatrici est ab illo concessa. Dicit igitur, (nec enim reperere piger) primo de Anima: Si oculus iuuenis senex accipiat, non secus ac iuuenis uidebit. Quasi dicat, anima nihil ob senectutem deterior eo, quod prius erat, facta est: eandem enim rationem cum intellectu subit sensus, neque in ullo differre uidetur, si ad animam tantum referantur: uterque enim uiolari per se nequit, uel imminui, sed illi uel ob instrumentum deficiunt ab operatione, uel anima sublata corrumpuntur. Ob hoc igitur non solum sensus corruptionis expers est, quod nec in morbis, nec in senectute anima languescat, id enim posterius est eo, quod demonstrari debet, quamuis apertius: sed quoniam & ipse sensus à materia abiunctas res apprehendit, quod & Alexander ipse non semel declarat. Atque huius forsitan locus esset demonstrationis, sed cum omnes id fateantur, ille uero inter ceteros pulchre hoc docuerit, multa & alia sint iam declaranda, cum quilibet in se hoc experiri possit; prætermittam: atque docebo iam, quid sit inter sensum, atque intellectum similitudinis, nempe maxima, atque multiplex: primum quod uterque (ut dictum est) res à materia separatas agnoscat, uterque etiam ab alio mouetur, ab obiecto siquidem: sensibilia enim sensus, & quæ intellectus intelligit ideo uterque apprehendit, quoniam ab illis mouetur: quod etsi agentem constitueres in hoc sensum atque intellectum, facilius esset animi immortalitatem ostē-

dere: sed tertium est, in quo cōsentiunt, non solum sensus, & intellectus, sed imaginatio: omnes enim, (ut in libro de animalium motu dictum est) eandem habent sedem, siquidem animam: atque hoc ea ratione (ut ibi docet) demonstratur, quod omnes hi, de his quæ agnoscunt diiudicant: nam quod magnum sit uel paruum, idem an aliud, agnoscit imaginatio & sensus, ac multo melius inter hæc rerum differentias intellectus agnoscit: non sic autem memoria, necq; enim illa diiudicat. Porro quod ibi rationem per mentem, quam etiam *viv* solet sæpe appellare, intelligat, nemo est qui dubitet. Rationem autem dico cogitationem ab Auerroë dictam: sed siue hanc, siue intellectum patientem, uel materialem intellexerit, nihil hoc nos torquet, quandoquidem hoc solum ad demonstrationem Aristotelis pertineat, quod inter intellectum, ac sensum plurima intercedat similitudo, quæ tamen ad immortalitatem nos nihil iuuat docendam, sed ad sensum tamen Aristotelis interpretandum est necessaria.

Vnum uero adieciſſe operæ pretium est, animæ sedem omnis in ea parte cordis esse, ut ibi ille subtili demonstratione ostendit, quæ quiescit: quod enim mouet immobile esse docet, & eo in loco, in quo omnis motus origo esse cernitur: tale inquam est cor, atque eius pars, maxime quæ in se quiescit: anima igitur illic est in magnitudine, non tamen magnitudinem habens. Sic inquam philosophus elegantissimi, atque admiranda disputationis serie nos edocens etiam quomodo per conatum moueat spiritum, & quomodo membra assuetudine etiam sine spiritu

ritu

ritu pareant uoluntati, non secus ac in bene ordina-  
ta ciuitate. Sed & illud animaduertendum, reliquas  
corporis partes animatas dici debere, non quoniam  
in his sit anima, nāque in solo corde sita est, uel etiā  
maximè in eo, quod ibi cōtinetur: uidentur enim  
propter contenta esse uasa, non propter uasa quæ  
in eis cōtinentur: nobilior enim est, cuius causa alia  
sunt, quàm quod alterius causa est: igitur in cordis  
meditullio ad complantatum spiritum, non solum  
in hominibus, uerum etiam in belluis, quæ corde  
non carent, anima ipsa sita est. Manifestū est autem,  
quod iuxta Hippocratis sententiā, in sinistro illius  
uentre mens ipsa habitat, inquit enim in libro περι  
καρδίας, seu de corde:

Γνώμη γὰρ ἢ τὸ ἀνθρώπου παρέφυκεν ἐν δὲ λαίῳ  
καρδίῳ. καὶ ἀρχὴ τῆς αἰσῆς ψυχῆς.

*Id est: Cognitio enim hominis genita est in sinistro  
uentre, et principium reliquæ anime.*

Sed ad sensus rationem denuò reuertor, is sua  
natura medio modo se habet: mortalis enim est,  
quoniam non sine corpore, nec quod sentiat ullum,  
mortis expers inuenitur: quæ autem ratione à ma-  
teria res seiunctas sentit, & qua in anima est, immor-  
talis quasi est, atque nobilior, cum sit proculdubio  
sensitiua animâ ipsa, qua uiuimus: liceat tamen, ut  
inferius docebimus, eam sub eodem gradu nobili-  
tatis, seu actus collocare, atque cum his etiam ima-  
ginationem, memoriam, & rationem: sed de illis ut  
humana sunt, inferius dicemus.

Merito igitur patiens intellectus huic sensitiuæ  
facul



facultati succedebat: atque cum similes illi esse uideretur, Philosophus in secundo de Anima inuicem eos distinxit, ne tandiu in hoc errore moraremur: nam plerique ex antiquis, tum Epicurei omnes, & Pyrrho, intellectum sensum esse credebant: itaque illud subiunxit, De intellectu autem, & contemplatiua potentia nihil adhuc dictum est. Rationem autem differentia subiungit dicens, aliud nos opinari, ac sentire non obscure esse, quod utriusque ratio principij sit diuersa intelligere, uerum posterius hoc (nam locus admonendi non demonstrandi erat) edocturum. Igitur cum ad initium tertij libri peruenisset, nil amplius docere se cupere ostendit, quam sensus atque intellectus differentiam: capite enim tertio inquit, Cum autem duabus Prisci differentijs animam, motione scilicet accommodata, intelligendoque ac discernendo, & sentiendo diffinierint, considerandum est, quid inter intelligere, sentireque intersit. Unde etiam alij iuxta id initium tertij libri statuunt: sed hoc nihil ad rem: Illud potissimum ostendere nititur, patientem intellectum sua ac propria natura esse talem, ut pati non possit, & ideo immortalis etiam, atque similis ceteris diuinis substantijs. Hoc autem maxime nititur fundamento, quod cum sensus a forti sensibili laedatur, dico autem excellens sensibile, etiam si organum sensus nulla ex parte laedat, intellectus a nobili intelligibili perficitur: nam cum intellectus nequaquam in materia ipsa fundamentum tanquam in subiecto habeat, imo nihil sit eorum, quae ante ipsum intelligere: haud dubie patet, illum a materia esse sua, ac propria

propria natura seiunctum, atq; ideo diuinis perfimilem. Et hæc ratio minimè cum possit infringi, nihilominus Alexandrum, atq; Pomponatium auxiliares habet: nam & ipsi fatètur, intellectum hunc patientem materia subiecta carere, ac sua natura immarcescibilem, tum deniq; diuinis perfimilem: atq; nos hoc uoluisse Aristotelem concedimus, tum & omnia, quæ insuper addunt, scilicet, quòd uerè tamen corrumpatur in morte, & quòd forma sit hominis, & quòd à corpore, ut obiecto pendeat, & quòd nihil sit eorum quæ sunt ante intelligere, Aristotelè proculdubio sensisse fatemur: quare nec in his, nec in differentia, quam cum sensu habet, eam autem nunc dicemus, nullo modò aut de rationibus, aut de sententia Aristotelis aut dubitamus, aut inter nos ulla est dissensio. Est autem multiplex differentia inter sensum & intellectū: Prima igitur, quòd sensus semper est in materia, tanquàm in subiecto: intellectus semper ab illa remouetur. Altera, quòd sensus ab excellenti sensibili corrumpitur, etiàm si organum non lædatur, intellectus ab excellenti intelligibili perficitur. Tertia, quòd sensus instrumento indiget, intellectus autem nullum habet propriū instrumentum. Quarta, quòd sensus est aliquid antequàm sentiat, intellectus autè nihil est eorū quæ sunt antequàm intelligat, si illius auferas præparationem. Quinta, quòd intellectus ab omni materia res seiungit, non in illis magnitudinem, aut motum, aut situm considerans: sensus quanquam absq; materia comprehendat, non tamen absq; his materiæ conditionibus

bus. Sexta, quòd intellectus uniuersale ipsum in-  
tuetur, at contra sensus singulare, quibus alia non  
pauca conditiones, ac differentia succedunt, nam  
intellectus infinitus quodammodo est, sensus ter-  
minū habet, tum maxime qui in belluis, aut etiam  
in homine, si sit exterior. Est etiam intellectus suc-  
celsione quadā perpetuus: namq; scientia, qua Con-  
choydes ego noui lineas semper approximari re-  
cētis, ac nunquā cū illis tamen concurrere, eadem  
illa est, qua etiam Nicomedes earum inuentor il-  
las nouit: namq; medium est idem, angulos opposi-  
tos inuicem æquales esse, & duas rectas nullam  
posse concludere superficiem: at sensus, quo uidit  
has in tabella depictas alius fuit, quā is, quo ego  
illas descripsi: nam nec necesse est, easdē lineas, aut  
eiusdem speciei, uel magnitudinis conchoydes ab  
illo, & à me in tabella esse depictas. Quare cog-  
nitio quidem per intellectum una est in omnibus ho-  
minibus, manente obiecto eodem, ac modo intel-  
ligendi. At sensus operationes quo nā pacto omni-  
bus possunt esse eadem, cū alter altero melius ui-  
deat, audiat ue, nec sint eadem, quæ uidentur, aut  
audiuntur, numero, imò neq; similia: quò fit, ut sen-  
sum suum in alium transferre nemo possit, intelle-  
ctum certè possit. Atq; id si intellectus patientis im-  
mortalitatem, ac unitatem appellassent Auerroës,  
& Themistius, certè parum à uero aberrare pote-  
rant: Sed cū substantiam quandam, nec formam,  
(ut multi putant) nec patientem, sed materialem in-  
tellexissent, ne uel Cicero orationibus, uel Chrysi-  
pus illos defenderit syllogisticis, atq; fallacijs, Accedit

dit ultimò, q̄ intellectus hæc ex illis struit, atq; con-  
tinuò à materia magis recedit: uelut si quis in altè  
extruat molem, sensus nihil horum efficere potest:  
sed ut primùm à materia recessit, eadem semper in-  
distantia manet, nec ab illa plus solito recedere po-  
test: quò sit, ut nec augeri alia alijs superstruendo  
ualeat ipsum ad modum intellectus, qui ex prioribus  
alia semper inuenit, nullum sibi itatuens talis  
functionis limitem, nisi uel morbum, aut debilita-  
tem, aut mortem, aut obliuionem, uel impedimen-  
tum: quare etiam super se ipsum retorquetur, ac se-  
met comprehendit, cum nullus sensus hoc efficere  
ualeat: ad diuina etiam penetrat, omni sensuum ge-  
neri abdita. Quæ omnia, cum ab omnibus, etiam  
qui animum uolunt apud Philosophum esse mor-  
talem, ex quo concessa sint, atq; demonstrata, nul-  
lum mihi nec in ostendendo negocium exhibent,  
aut controuersiam excitant aduersus quenquam.  
omnia igitur hæc tanquam non solum ab Aristo-  
tele demonstrata, sed ab illis etiam confirmata ad-  
mittimus: cum certum sit, intellectum, quatenus  
intellectus est, patientem natura immortalem, uerè  
mortalem esse, ad amulsim medium diuinorum,  
& corruptibilium. Nec his cõtentus, nam illis mo-  
rem gerere cupio, quantum possum, qui mortali-  
tatem animi testantur: homines enim clari sunt,  
atq; eruditi. Fateor igitur, hominem etiam morta-  
lium rerum esse medium, ac diuinarum: nam in-  
tellectus, qui suprema illius pars esse uidetur pa-  
tiens, ut unum est, eiusmodi est: neq; uerò, si ma-  
terialem uelis, hunc esse non patientem digladiabor  
recum



tecum: quemuis ex his statue, nam naturalis est antequam recipiat, cum receperit patiens: qualēcunq; igitur ex his talem statueris, qualem nuper diximus, nostra nihil refert: nam de ipso contentio non est: quæ si esset, diligentius hoc discuteremus: nunc satis fit, quendam esse intellectum præter agentem, quem quilibet esse intelligit, ac uidet, qui natura quidem materia caret: quoniam tamen ab obiecto pendet, non uerè potest separari, sic ut mortuo homine per se maneat: at uerò de intellectu agente, quanquam quòd sit, concordēs simus: quia tamen imperitorum more disputantium, cum ex hoc sequi aliud præter opinionem cernerēt, negare possent: tum quia non ex uerbis nunc deducendæ rationes sunt, sed illud demonstrandum, quid Philosophum ad immortalitatem credendam impulerit: ideo quomodo hoc Philosophus ipse ostendat, paulò altius est repetendum. Igitur cum in omni natura agens & passum inueniatur, tum uerò actus, atq; potentia: nam actus, quo Deus est purus, eiusdem generis, tum potentia materiæ, quæ actu caret, cum aliorum actibus atq; potentijs non est: ergo in sensu non solum est quod patitur, uerum & quod agit, primæq; impressio patiendo fit, nam formas rerum recipit sensus, atq; eas, ut dictum est, absq; materia: neq; enim oculus, dum albū cernit, candidus: aut auris, dum concentum audit, sonora, & harmonica: Communis autem sensus, qui diiudicat, quiq; uerè sentit (ut Philosophus censet in libro de Somno & uigilia) actiue concurrat, & cum illo anima: organum igitur uerius, quam sensus

sus patiēdo concurrūt: tum uerò quæ potētia sen-  
 sibilis sunt ad actum per aliquid aliud reducūtur:  
 nam colores per lumen ex potentia in actum pro-  
 deunt: similiter & in generationibus omnia quæ  
 in potentia materiæ sunt, ad actum saltem per calo-  
 rem cœlestem deducūtur: & generaliter, quæcūq;  
 imperfectionem sortita sunt, ut passia potētiaꝑ,  
 ad hoc ut perficiantur, mouente, agenteꝑ indigēt:  
 nec æqualis est necessitas imperfectorum ad perfe-  
 cta, ut perfectorū ad imperfecta: similiter & in intel-  
 lectu accidit. Quapropter tertio de Anima cap. v.  
 rectè inquit, Cū autem in omni natura sint  
 quædam, quorum alterum quidem unicuiꝑ ge-  
 neri materies est, ac id etiam parere potest, cum po-  
 tentia cuncta sit: alterum uerò causa est & efficiens,  
 omnia nimirum agendo, atꝑ efficiendo, talem sub-  
 biens rationem, qualem ad materiam eoditionem  
 ars subit: necesse est in anima has differētias easdem  
 inesse. Atque quidam est intellectus talis, ut omnia  
 fiat, quidam talis ut omnia agat, efficiatꝑ: qui qui-  
 dem ut habitus est quidam, ac perinde, ut lumen:  
 nam & lumen colores qui sunt potentia, actu colo-  
 res quodammodo facit. Nisi anima haberet acti-  
 uum aliquid, imperfecta omnino esset, & multis  
 alijs deterior rebus, quæ tamen illa genere sunt in-  
 feriores. Hæc ratio est prima atꝑ clarissima. Alte-  
 ra, Sensibilia quæ solum potentia sunt intelligibi-  
 lia quomodo intelligentur, nisi ab aliquo efficien-  
 te, seu agente intelligibilia actu efficiantur: uelut  
 colores, cum non sint actu colores, nisi à lumine il-  
 lustrentur, si uideri debeant, lumine proculdubio  
 indigent

indigent: igitur intellectum aliquem agentem esse necesse est: huiusque cum nulla sit cum alijs discordia, qui animum censent esse mortalem, negligentius paulo egimus, tum maxime cum argumentum id ostendat, quod quilibet in se manifeste agnoscit, esse scilicet in nobis actuam quandam uim seu in sentiendo, seu in intelligendo. Omitto quod Auer-

Ca. 37. & 149. roës, maximus Aristotelis interpres, hoc in expositione secundi libri de anima concesserit, tum Alexander in paraphrasi, & cæteri expositores, è quibus unus Magnus Albertus, quis hoc iure negare possit in sensu: cum aliud sit iudicium sensus, aliud sentire: sentimus: nec nisi sensu nos sentire, atque cum hoc adeo in sensu sit manifestum, in intellectu etiam clarius est, ut Auerroës affirmat: quare ut sensum agentem, sic intellectum ponere nobis necesse est. Sed cum (ut diximus) hoc nemo nobis neget, ad alia transeamus, ostendentes quod superest, Intellectum agentem hunc in nobis esse: sed prius obicem quendam discutiamus, ne more Philosophantium

X X I I I. nostro tempore in facilibus nugantes, in difficillimis conuiueamus. Itaque iam dictum à nobis est, animam esse in spiritu, atque id ratione confirmatum, quod illi membris sint nobiliores. At uero & id rationi consentaneum: sunt enim spiritus, ut actus, & artifices ab anima ad membra ipsa delegati: at contra membra instrumenta, atque ad animæ facultates in potentia se habentia: quare animam in spiritibus cordis, firmioreque parte habitare consentaneum esset, nisi illud obstaret, quod cum spiritus perpetuo generentur, corrumpanturque, anima au-

imagines

tem

rem non solum in illis resideat, sed etiam eorum sit forma, atq; actus, necesse erit animam singulis momentis permutari, nec ullum hominem eundem esse, qui pridie fuerit. Hanc uero difficultatem Galenus mouisse uidetur in libro, cui titulus est, de utilitate respirationis: respondetq; in hanc ferme sententiam Asclepiadi, qui hoc (ut puto) argumento ductus, singulis momentis alium hominem fieri affirmabat, anima (ut dixi) permutata. Ostendimus autem animam, & si non una per totam uitam permaneat, longo tamen tempore eandem esse. Itaq; hoc argumento (ni fallor, nam aliud fortius ad hoc demonstrandum inuenire non queo) adductus est Galenus, ut fateretur, uel hominem eundem permanere non posse, aut animam corpore ipso non secus ac nauam naui uti, unde in v. digestorum Iuriconsultus Alphenus, sub titulo de Iudicijs, lege proponebatur: sanxit, Hominem quamuis tempore secundum omnem partem transmutetur, uelut & fenarum, qui perpetuo successu reparatur, etiam post aliquot secula eundem dici, debere. Quare & ex exeplo, quod totus homo immutetur, clarum est, & quod sententia ea sit iuriconsulti uerba declarant, & quod haec opinio olim celebris fuerit autoritas, ostendit cum inter leges ab Imperatore relata sit: que tamen omnia quis non uidet ex hoc uno pendere fundameto, quod animus ipse, mortis legi obnoxius sit. Quare ne adeo neglecta ratio pro Platonis opinione, atq; pro comuni omnium animorum immortalitate fuerit haec, quod necesse sit, si anima mortalis sit, etiam idem animal per totam uitam



tam non idem numero esse nec turpe mihi duco, si ambitiosus Galenus argumentum hoc, quod, aduersus opinionem suam aperte militat, diluere non est ausus, quod ego & ipse nunc ad ingeniorum experientiam pretermittam illud: tum prefertim, quod in libro Floridorum dissoluere aggressus sum. Id tamen nunc non silebo, esse aliquid medium in corde inter spiritus ac membri substantiam, quo corrupto, uel minimū uitiato exhalat anima, substantia quidem spiritu durior, ac perennior, facultate non illi absimilis: namque quod quisquam animam membrum, aut cordis substantiæ infigat, non est, cum & ipsa ut reliqua motum recipiat, non det, uirtus uero per eam partem uniuerso corpori distribuitur, per quam totum dicitur corpus animatum, arteriæque sponte uelut & cor mouentur.

Ergo ut ad intellectus agentis rationem accedam, duas de nobis mouet quæstiones Philosophus admirabiles, ac quasi inuicem pugnantes: Alteram, Cur cum uolumus intelligimus; alteram, Cur non semper intelligimus? Videntur autem inuicem pugnare: nam si agens intellectus intra nos est, cur non semper, ut reliquæ intelligentiæ intelligimus? nam proprium munus est intellectus intelligere, uelut animæ, ut uiuat: nec uero anima sine uita esse potest. At si extra nos est, cur uoluntatis arbitrio subiicitur? experimento enimprehenditur, nos longe melius cum uolumus intelligere, quam sentire. Itaque hanc tanquam clarissimam silentio prætermisit, contentus docere, agentem intellectum eandem rationem subire cum sensu, quod in nobis fit, & quod

& quòd non aliud sit à patiente: nam patiēs imago est quaedam agentis. Soluit autem primam, docēs, agentem intellectum non esse eum, qui intelligat, cū iam patientem præsupponat: sed facere, ut patiens ipse intelligat, Propterea lumini illum comparat. Itaq; postmodum quærit, Cur non reminiscitur hic intellectus post mortem: hunc igitur, ut declaratum est, manere uult, & nostri esse partem: nam si alteram istarum conditionum sustuleris, quæstio nulla est: Nam si nō uerè manet, quomodo recordatur: si non est nostri pars, quī potuit scire? Sed hæc per transfennam, neq; enim nunc necessaria ad probandum intentum rationis Aristotelis sunt. Nec duo solū animaduertere decet, illum docere, agentem intellectum non semper intelligere, quia nec patiens semper intelligit: patiens non semper intelligit, quia nō semper est, pendet enim à corpore, nec ullam habet substantiam, nisi semetipsum: ut igitur in morte cessat, sic & cū non operatur. Reliquum quòd intellectus noster agens in nobis est, quia cū uolumus intelligimus, Propterea etiā quærit, qui prior sit: & manifestum est, quòd quomodo patiens prior est, natura autem agens: nam intellectus agens non intelligit, nisi iam patiente existente: patiens autem mouetur à sensibus, sensus ab obiecto, inter quos etiā memoria adnumeratur. nam ut habetur in libro de Animalium motu, memoria mouet mentē spe mediā, iocūdo, ac tristi simulachro proposito: nam bona, & sperata (dicit) appetimus, & ad ea accingimur, fugimus mala, si adesse crediderimus: sed hæc,

i ut di

ut dicunt, potius in practico intellectu. Verum memoriae (ut in libro de Memoria docetur) sensus suggerunt similitudines, atque inter sensus imaginatio annumeratur, est enim sensus interior: quare agens intellectus non semper intelligit, quia patiens non semper. Ridiculi igitur sunt, qui agentem intellectum Deum esse statuunt: nam nec ille in nobis est, nec nunquam non intelligit, nec patiente indiget, & si ille sit, iam nos non actiue intelligimus, sed passiuè tantum. Quamobrè benè dixit Auerroës, de agente sensu siluisse Aristotelem, non de intellectu, quod hic obscurus non esset. Nunc igitur quid intersit inter nos, & Alexandrum, facile est intelligere: nam agentem hunc nos declarabimus immortalem, aliumque à patiente intellectu, non quidem, ut duo omnino sint, sed quoniam patiens separabilis inquam est, sed agens separatus, hunc etiam esse substantiam aliquam, neque ipsummet tantum. Est uerò illud apud Alexandrum difficilimum, quod si agens intellectus nulla natura est, sed actus tantum eius qui intelligit, quoniam pacto primam formabit intelligendi actionem, nullus iam actu existens. Verum fortasse Deum agentem constituit, qui illuminet; alium uerò facit agentem, qui in nobis sit, & qui diiudicet: quare melius sic defendi poterit, quanquam hoc non ipse dixerit. Sed si Deum facimus agentem intellectum, aut semper faciet uniuersalia hæc, aut non: si sic, iam ad ideas Platonis necessario confugimus, nec ex singularibus uniuersalia colliguntur: si non semper, quoniam pacto intellectus cum uolet, intelliget: hanc ob causam

fam

fam agentem intellectum Deum noluit (ut existi-  
 mo) ponere Alexander. His tandem declaratis, uí-  
 detur argumentum ipsius Philosophi demōstran-  
 dum, si prius tamen quædam quæ in nobis sunt,  
 edocuerimus: ea autem sunt hæc: Cùm nobis, ac  
 belluis cōmunes sint sensus exteriores, interioresq̃,  
 maxima tamen in interioribus hominum, & bel-  
 luarum differentia intercedit: nam imaginatio, &  
 ratio ipsa ad infinitum se extendunt, cùm nullis lí-  
 mitibus in homine circumscribantur: at belluæ so-  
 lum ea imaginantur, quæ uiderint, aut senserint,  
 nec infinitam uim habent illorum uirtutes: existi-  
 mant & belluæ, sed in paucis illarum hæc uis ap-  
 paret, & obscurissima est: maximam enim credun-  
 tur habere elephantes, & simiæ, post quas canes:  
 nam & dum hæc emendaremus, quidam simiam  
 circumferebat equos regentem, multaq̃ alia uisú  
 atq̃ auditu mira faciebat: hæc tamen animalia ue-  
 lut implumes aues à nido, sic ipsa à præsentí sensu  
 discedere non queunt: uerùm memoria adiuuan-  
 tur, quæ in illis adeò eminet, ut non secus, ac sen-  
 sus exteriores communis, ac sine discrimine ullo  
 hominibus, & belluis impartita uideatur, atq̃ id  
 ratione: nam reminiscenciam solis hominibus na-  
 tura dedit, quæ memoriæ uice in nobis fungitur,  
 & huic quemadmodum imaginationi, & rationi  
 sine termino uim, ac potentiã largita est: nimirum  
 igitur homines nulla in parte facilius lædi faculta-  
 tum animæ interiorum, quàm in memoria, quòd  
 ea maxime corpori annexa sit: est enim memoria  
 quasi etiam in membris ob consuetudinem sita:

maligom

1 2 nam



nam nulla cogitatione citharam pulsamus, & rectè, ut digiti absq; memoria moueantur: nam memorantes etiam aliquando nihil comprehendimus, uelut pueris accidit, cum longas orationes recitant uelociter, ubi nec intelligunt quicquam, & si illos morèris obliuiscuntur. Igitur nihil mirum, memoria pollere belluas, & pueros, quòd ea uis rationi nullo pacto misceatur: quinimò si mentem exhibeamus, obliuiscimur multorum: at contra reminiscencia uiris melior est optimaq; mente magna præditis, cum etiam ab illa iuuetur. quare quòd homo alijs in partibus internis uim quandam diuinitatis præferat, si memoriã excipias, abunde ostensum est, cum uideatur memoria non solum cerebro, sed omnibus corporis partibus manifestè inesse. At exteriores sensus nihilo secius alijs longè sunt in homine, ac belluis. Nam ut ab auditu incipiam, Homo solus harmoniam, & concentum percipit, nulla bellua huius est capax, quamquam uocibus sui generis aut consuetis, uel etiam clarioribus delectetur, uelut equus tuba, & ceruus fistula: similiter & in pictura, nec enim uarietatem colorum, ac pulchritudinè, nec cœli sereni uenustatem, nec pratorum florentium amœnitatè sentiunt aues, uel belluæ ullæ: sic & in odoribus, nam præter odores ciborum, nullos, quamquam suauissimos, sic percipiunt, ut ullam ex eis capiant uoluptatem, & si incertum sit, an eos, qui ad cibum non pertinet, sentire possint: nihil tamen in rem facit, cum manifestè constet, atq; hoc certè magnum est, nullum genus auium, uel piscium, aut quadrupedum harmoniam

moniam, uel colorum uarietatem, uel odoris suauitatem, quæ præter ciborum usum est, sic percipere, ut illa delectentur. Possem & hoc ad gustum, tactumque extendere, sed cum difficillimum sit, ac magis curiosum, quam utile, nunc id præmittam, ad argumentum Aristotelis properans, contentus solum id ostendisse, homini cum belluis & si multum similitudinis, parum, aut nihil ueræ affinitatis naturæ intercedere. Quamobrem rectè dixit Auerroës in fine libri de Sêsu ac sensibili, homines medullam sensibilibum comprehendere, belluas autem quasi illorum tantum cortices, atque omnia hæc & ipse iuxta ea, quæ diximus, edocet. Igitur his suppositis, declaratisque, ad Philosophi argumentum deuenio. Intellectus agens perfectio est patientis, atque omnium eorum, quæ sunt in homine, imò perfectior ipso patiente: cum igitur patiens iam sit separabilis, agens inquam ipse erit separatus. In uno quoque enim entium genere, in quo multa secundum ordinem constituuntur, quæ propter aliud, & ad consequentiam talia sunt, necessarium est ad unum, quod sit per se tale, deuenire. Ostensum est autem, omnia in homine, quæ cognoscunt, quodam immortalitatis, ac diuinitatis genere participare: igitur oportet illud esse, quod per se tale sit. Neque uerò est ulla perfectio maior patientis intellectus dignitate, quæ non sit absolutè immortalis: ille enim iam separabilis esse conceditur, nec quicquam obstare, quin separetur: utitur toto corpore, ut organo, quia nullam partem habet illius præcipuam, est enim absolutus: quia tamè nec substan-

tia quædam est, nec sine corpore, tanquam obiecto intelligit, & si natura propria sit immortalis, non potest à corpore separari: quam nam igitur maiorem agenti perfectionem dabimus, ut intellectus hic non sit uerè immortalis: manifestum est etiam, omnia illa ex hoc pendere, igitur hic ipse per se talis erit, uel ex alio rursus pendet: at si pendet & substantia est, nihilominus æternus est, quod enim ab æterno profluit, si substantia sit, æternum est: nam si lumen solis esset substantia, sicut est accidens, indubiè æternum esset, perit tantum quia substantia non est. At uerò intellectum esse substantiam declarat hoc quòd mouet, & agit non tanquam instrumentum: si enim calor per se ageret, utiq; esset substantia: sed non calor agit, uerum calidum. Est etiam homo absolutum animal, nec ullius exterioris indigens, quare intellectus suus per se talis est, & non alterius causa: hic autem agens quo nam pacto, etiam si ab alio pendet intellectus agens, in nostra hic erit potestas: quare relinquitur, ut hæc substantia in nobis sit, & immortalis.

Hanc ob rationem, quæ certè si non est demonstratiua, attamen omnibus argumentis, quæ in contrarium sunt adducta, ualidior, etiam simul sumptis, longè est, ac plusquam probabilis. Philosophus quasi gloriabundus toties repetit, ubiq; tanti inuenti memor, mentem solà uerè immortalè esse, solam immarcescibilem, ex trinfecus uenire, nec unquam mori. Inde Auerroës, Theophrastus, Theophrastus, Simplicius, omnisq; Peripateticorum turba cū hoc unū scirent, illū animū censuisse immortalem

talem, nec fatis qua ratione inductus hoc ille dixerit perciperent, sed pro uno tantum argumento multa subiicientes, quodq; sic erat ualidissimum, in plura dissecantes, infirma singula reddidere: sed iam de modo, quo illum tueri possent, maxime soliti, in diuersas abiere sententias: attamen omnes ferme, quæ in illius unitatem descenderent. Quam obrem nunc de illa propositum esset tractare, nisi prius reliquas rationes, quæ ab alijs adduci solent, annectere propositum esset: non quod cum hac una Philolophi illæ sint conferendæ, sed quod, ut in cæteris plerunq; homines ineruditi, uel ingenij hebetioris his magis rationibus persuasius, quàm demonstrationibus moueantur, quod & cõfirmat Auerroës. Verum non tam propositum est, illos persuadere debilioribus rationibus, quàm docere, ne multitudini rationum confidant, sed ponderi: ergo una ex his argumentatio est.

*Rationes reliquæ pro animi immortalitate.*

**S**I homo medius esse debet inter mortalia, ac im-  
 mortalia, necesse est cum corpus uerè corrup-  
 tuoni obnoxium sit, x x v.  
 ut animus uerè sit im- D E V S.  
 mortalis: namq; cum Intelligentiæ cum suis  
 Deus purus sit actus, ordinibus.  
 Materia prima pura { Intellectus agens  
 potentia ille diuinus, { Intellectus patiens  
 & immutabilis: mate- { Sensitiua & uegetatrix.  
 ria prima corruptio- { Elemētum uel mistum  
 nis subiectum, ac mortis, proxima Deo intelligen-  
 tia { Materia prima  
{ 1 4 tia



tia. Materiae uero elementa, & mista inanimata, ut aeterna corruptibilibus, materialia immaterialibus copulareretur, homo factus est ab utroque aequaliter distans: nam perfectissimam mortalium, imperfectissimam immortalium adeptus est: ut uero etiam haec iungerentur, intellectum patientem quasi illorum medium sortitus est, natura immortalis, & immaterialis, ac uero dispositione morti obnoxium, & qui alicui tanquam fundamento inniteretur: animae quidem dico, ac formis, & simulachris sensibilibus rerum. Ergo hunc hominem, qui sic constat, quis non uidet medium esse, atque participem diuinorum, atque humanorum, qui si agente intellectu caret, uel non omnino medius esset, uel non particeps, essetque querendus alius quispiam medius ab hoc, qui utriusque particeps naturae esset, quem cum inuenire non queamus, longe melius ipsum hominem talem esse fatebimur, qui ab utroque extremo aequaliter distat, quique eorundem aequaliter etiam sit particeps.

XXVI. Est etiam illud magnificandum, quod si animus noster non esset immortalis, nulla est a morte poena, uel gratia, quare nec hic uere bonum, aut malum: nam omnia inania erunt, & ad nihilum redigentur. Quid enim proderit fuisse, uel non fuisse: aut in quo homo mortuus a figmento distat? & uiuens etiam quid habet, cum uere sit nihil?

XXVII. Tum uero illud ad rem facit, quod nunc sum, & esse me intelligo, cur nunquam alius fui; aut futurus sum? & modo nunc sum hoc intelligens? nam intellectus cum sit res necessaria, non potest contingenter esse, quis distulit? & quis seruauit?

At

At uerò idem, dicent, de lapide & boue obijci potest. Nequaquam: nihil enim horum se intelligit, nihil uerè actu est, sed omnia sunt partes suarum specierum. Propterea & qui intellectum unum esse dicunt, nihilominus huic argumento satisfaciunt: ob id igitur nunc sum, quoniam materiæ huic contingit, ut huic perenni substantiæ copuletur.

Considerandum est etiam, hanc nostram animam undequaquè infiniti argumenta prodere, tempus æternum non solum intelligimus, sed imaginamur, magnitudinem quoque infinitam, ac numerum: ipse intellectus perpetuò progreditur, & si uitæ breuitas non impediret, nihil non aggredetur, omnia illi peruia, ac patentia, sine limite, sine meta, omnis expers concussionis: sensu utimur, qualis datus est nobis, intellectu uerò etiam aliorum adiuuamur, quod in sensibus efficere non possumus.

Illud quoque nos admonet, quod diuina intelligit, nec mortalia nisi sub diuinitatis forma quadam: quod esse non posset, si ipse diuinus non foret: nam quod promiscuus: & sine differentia, uitiorumque capax esset, defendi potest: quod uerò mortalia concipere non queat, nisi sub immortalitatis effigie, ipse mortalis existens, omni rationi, omnique experimento repugnat.

Cessaret etiam ratio omnium horum inferiorum: nam elementa quorsum facta sunt: ob mixta nempe, hæc ob animata, hæc autem propter illa, quæ sensu prædita sunt, animantia propter hominem.

15 At

At uerò hic, si mortalis est animus, cuius causa esse potest, nisi sui ipsius. En præclaram responsionem: nam qui animum fatentur esse mortalem, diuiniorem hominẽ faciunt, quàm qui immortalẽ: nempe illum sui ipsius causa tantum esse fateri coguntur, quamuis propter se esse soli Deo competat. Euertunt igitur, qui sic dicunt, uniuersi ordinem.

x x x i. Adde quod à Cicerone inducitur, Frustra ne tot sacra, ceremoniæ, obseruationesq; Deorum, religio, pietas: omnia ne hæc, in quibus tandiu uniuersum genus consentit, quanquã ob ignotas causas diuerso ritu, pessum eunt.

x x x i i. Est ne etiam quicquam aut menti nostræ cum Deo dissimile: aut cum mortalibus simile: Cur tanta celeritate mens mouetur, cur cœlestia penetrat, cur fundamẽtum tot uirtutibus exhibet, cur adeò sapientiæ auida: cur tot disciplinas nouit, cur sine medio ullo ab animalibus cæteris recedit, si potest esse mortalis: Denique cur solus super seipsum flectitur, non ut oculus, qui cum reliqua uideat, se ipsum non cernit.

x x x i i i. Dubitabat etiã, & meritò, Petrus Manna Cremonensis, nam si animus noster mortalis est, uelut & belluæ, cœlo subiicimur, nec liberum est uelle, quæ nolumus. Respondet ad hoc Pomponatius, Ideo non subiici, quia natura sit æternus, quamuis per consequentiam alterius corrumpatur. Hæc responsio est uoluntaria: nam illud ego quæro, Unde hoc nanciscatur, unde illam naturam immortalem, cum undequaque mortalibus circumscripiatur, adeptus est. At dicit, ab intellectu agente, qui exterius

rius

rius est, abstrahitq; hic intellectus ducit originem. Quomodo iam abstracta ista recipit, ac intelligit, & quando uult: Respondet, illis se applicat. Iam uero titud declarauimus, quod si diuinus aliquis intellectus uniuersale colligit ex singularibus, nec nobis sensibiles formæ, ac idola erūt necessaria, erūtq; uel ideæ cum Platone ianciendæ, aut cōcedendum intellectum diuinū singularia intelligere. Sed quid opus est uerbis, cū unusquisque hoc in se percipiat, quod propria mentis ui uniuersale colligit ex singularibus.

Simile fermè est, quod dicitur à Sueffano: Si xxxiiii.  
animus noster mortalis est, ex potentia materiæ educitur, quare esse à corpore habet: habet igitur & ut operetur, ac generaliter, non secus, ac belluæ, à sensibus dominabitur, nec suis actionibus præerit. Est etiam aliud, sed quasi iam dictum, illius argumentū: Vniuersalia quæ ex indiuiduis sumuntur æterna sunt, nō autem per essentiam: nam ideæ essent Platonis, participatione igitur tales sunt intellectus humani, qui per essentiam æternus est.

Verū sunt & qui existiment has rationes aliquid momenti habere, Anima inquam est impartibilis, forma igitur etiam immarcescibilis erit: nam quod impartibile, nō pēdet à materiā, omne enim materiale est quantum. Si dicas quod corrumpitur ad corruptionē corporis, non quia ipsius pars, sed quia terminus, ut etiam punctus. contra quia punctus est solum in potentia, & posterior natura corpore anima prior illo, & actu.

Similiter, quod separata iungere potest, separatum xxxv.



cum est: anima iungit separata, nam & in materia-  
libus ex pluribus hominibus unum facit hominē  
specie, ex pluribus animalibus unum genere ani-  
mal: sic etiam separata quæcunque coniuncta sunt,  
ut in lacte dulcedinē ab albedine distinguit: agno-  
scitq; perinde differentia, ac si in duobus essent cor-  
poribus. Anima etiam se separatis substantijs intel-  
ligendo assimilat primò, deinde iungit, quod (ut  
dictum est) Aristoteles xii. primæ philosophiæ fa-  
tetur, ut superius docuimus, & Aphrodiseus conce-  
dit, quia anima separata est. Nemo autem est, qui  
non intelligat harum duarum Plotini rationū pri-  
mam etiam belluarum animis convenire.

xx xvii. Auicenna etiam sexto Naturalium sic pro ani-  
mi immortalitate argumentatur: Anima non cor-  
rumpitur per se, cum per se cōtrario careat: nec ad  
consequentiam alterius, cum opus habeat extra il-  
lud, cuius corruptione corrumpi deberet, ipsa nun-  
quam corrumpi non potest, nisi ad corporis conse-  
quentiam extra quod operatur: nam intelligere, ut  
sæpius dictum est, nullo modo fundatur in corpo-  
re, tãquam in subiecto, sed in anima tantum, ut ab  
illo separata intelligitur.

xxxviii. Sunt etiam morales rationes Girardi de Odo-  
nis, quarum prima est: Si animus humanus mor-  
talis est, nulla est felicitas: quia non post mortē, to-  
to homine dissoluto: nec in uita, nam sic in uirtute  
maximè esset. At uirtutes uel propter se, uel pro-  
pter spem sunt desiderandæ, ac exercendæ: spe igitur  
sublata, relinquitur, ut sint propter se expeten-  
dæ: hoc autem esse non potest, cum uirtutes sensu-  
bus

bus repugnent, ut tēperantia, liberalitas, sed omnibus magis fortitudo. Quis mente sanus, si omnia simul intereunt, spōte morti se obijciat? Ergo quis iure præsētia fugiat bona, si nulla est spes futuri præmij melioris, atque maioris? Reliquas autem illius rationes, quod ex Aristotelis dictis originem sumunt, non absque causa prætermisimus: superuacuum enim esset ambiguis, ac detortis sententijs eadem ostendere, quæ iam clarissimis uerbis expressimus.

Solet etiam argumentum fieri de circulari animæ operatione, reddit enim intellectus supra se, ac perfecto quasi in circulo reuoluitur in operando: hoc autem non est facultatis, quæ prodierit ex elementis, sed ut uidemus, diuinorum proprium, & ab omni animalium potestate ualde remotum. Et quanquam fateatur Pomponatius, hoc etiam u egetatrici accidere, nam nutriendo corpus seipsam alit: peccat tamen aperte, nam anima ipsa nusquam alitur, nec incōueniens adducere est soluere: sed hoc illi adeò familiare est, ut non obscurum sit, illum minimè potuisse satis commodè tueri positionem suam de animorū interitu: uerum in illam uel gloriæ studio, uel ui rationum aduersus immortalitatem recitatarum declinasse. Sed ad rem redeamus: Intellectus si reuoluitur supra se, nō potest esse corporea uirtus: nam ut habetur ab Auicenna sexto Naturalium, instrumentum mediū est inter uirtutem, & obiectum: at si obiectum idem est quod uirtus, quomodo poterit esse mediū aliquod: si etiam est reflexiuus supra se, est indiuisibilis, quoniam

niam quod habet quācitatem, si reflectatur, non poterit sibi ipsi uniri: constat etiam organo illum non uti, cum sit determinati generis ea uirtus, quæ organo utitur, ut uisua ad colores, & audiendi uis ad fonos.

x l. Alij sic arguunt: Intellectus omnia comprehendit materialia, igitur ipse est immaterialis: nam recipiens debet esse denudatū à natura recepti. Quod si quis dicat, per hoc idem probari, quod cum omnia immaterialia cognoscat, non erit etiam immaterialis: quare nec materialis, nec immaterialis erit. Respondemus, quod propositio illa assumpta generalis, scilicet quod oportet recipiens esse denudatum à natura recepti, in materialibus tantum uera est: quia ratio ab Aristotele adducta, & sensus docet hoc: ratio inquam, quia intus existēs aliquid materiale ex eo genere impedit, & obstruet, ut color in oculo, & sonus in aure: unde experimēto patet, quod si splendidum colorem fixè intueamur, inde conuersi nihil rectè uidemus: idem de ingenti sono, at immaterialia non obstruunt.

x l i. Cum etiam intelligat uniuersale, intelligit quod si paratum à loco ac tempore: quare nō solum hīc, sed in omni cognitione intellectus liber est, & in his, quæ recipit, & in sua natura, non tantum omni materia, sed omni eo quod ad illam consequitur: nam simulachra colorum nō sunt materiæ partes, neque tempus, aut locus, & tamen impediunt alter sensum etiam, alter intellectum: manifestum est igitur ex his, intellectum penitus esse absq; omni materia, ac conditione, quæ ad illam pertineat.

Duas

¶ Duas etiam ex uoluntate rationes non uulgares X L I I.  
 Albertus princeps Carpi, nam titulum libro non  
 ascripsit, addidit. Docet autem quemadmodum in  
 intellectu duplex est cognitio, altera principiorū,  
 circa quæ nec decipitur, nec laborat, aut hæsitat: al-  
 tera circa orationes, ac rationes, in quibus nõ adeo  
 firmiter hæret, nisi uideat illarū cum primis prin-  
 cipijs necessariam connexionem: sic & de uolunta-  
 te, nam primus eius actus erga finem est, secundus  
 erga illa, quæ ad finem sunt: in horum utroq; im-  
 mortalitatis ratio apparet: nam in finis desiderio,  
 cum summum bonum appetat, atque desideret, hic  
 uerò nullum tale sit: nam scientia nos nõ fatiat, sed  
 quanto plura scimus, multo plura adhuc scire cu-  
 pinus: ueram igitur beatitatem, ac summum bo-  
 num consequi naturaliter appetit: appetitus natu-  
 ralis frustra esse non debet, ideo cum illum hic con-  
 sequi nequeat, oportet alium post mortem esse sta-  
 tum, in quo, quod desiderat, assequatur.

¶ Eadem ratione in ijs, quæ ad finem sunt, uesti- X L I I I.  
 gium immortalitatis apparet: nam cum triplex sit  
 appetitus, Naturalis, qui sine cognitione, & dire-  
 ctione est: Sensitiuus, qui sine directione, sed tamen  
 cum cognitione est: & Rationalis, qui cognitione,  
 & directionem habet: Naturalis cum simpliciter  
 corporeus sit, Sensitiuus uerò medius, ac mixtus,  
 Rationalis omnino incorporeus, ac immaterialis  
 erit: nam Sensitiuus ut cognitione utitur immate-  
 rialis est, ut sine directione similis Naturali atque  
 materialis: purissimus igitur appetitus est, seu uo-  
 luntatis opus, quo ad ea quæ sunt ad finem dirigi-  
 tur



tur. Hæ rationes satis probabiles sunt, ac aliquid ut Græci dicunt *ὑπέρτας* in se continent.

Quòd si quis ad primam dicat, Cætera animalia quiescere absque illo fine. Respondemus, quòd uerum est, quia nec alium habent, nec homini datum agnoscunt, atque ideo non frustrantur, nec inquieti fiunt ob id, aut manca: homo uerò cum cognoscat, & naturaliter appetat, nec quiescere sine illo potest, nec frustrari naturali fine debet. Et hæc ratio est, quòd belluarum plures quietè uiuunt: & sua forte contentæ: solus homo sua cōditiōe non contentus existit, nec ab orbe cōdito historijs mandatum ullis est, quēquam fuisse, nisi stupidum, aut læsa mente, qui nil amplius cuperet: quod ex hac causa aperte ducit originem. Est autem roboris huius argumenti indicium, quòd Pomponatius cum innumera uerba effundat, tandem per interemptionem (ut dicunt) arguendo, respōdet suo more: tandem cum nihil sani habeat, quod dicat, concludit, Quòd uoluntatis finis nō est, qui omnia bona contineat, sed qui conuenientiā tantum. Inde redit ad conuitia, quod tunc solet facere, maximè, cum proportionibus uerba danda sunt: utitur igitur nō parua arte in re difficili illam uerbis obruēs: quare (ut dixi) magis studio, quàm iudicio uidetur in eam adductus sententiā. Verum quòd responsio non satisfaciatur, apparet: nam dictum est, uoluntatē summum bonū naturaliter quærere, in quo nihil mali sit: hoc autem non potest esse, nisi Deus: quòd uerò à sensibus illecta, ac quasi illaqueata, modò in id, modò in illud inclinet, nunquā ea deferente primum

num institutum: id non facit: ut propterea uoluntatis alius finis à summo bono cenferi possit.

Est etiam illud mirum in hoc uiro, quod de intellectu asserit: nam uel per illum animam intellectiuam informatam intellectu intelligit, uel antè quàm intellectu utatur, uel intellectum ipsum uult formã esse corporis humani. Si intellectum tantum, erit modò corpus humanũ sine forma, modò cum illa: si compositum ex utroque, id est animam intellectiuam informatam, erit, dum puer est, corpus illud absque forma: si uerò animã intellectiuam formam facit, intellectum autem perficientẽ rem, uel ille erit animæ intellectiuæ pars, uel non: si non, sed separatum aliquid, nos ipsi nõ intelligimus, sed est aliud quoddam separatũ, si est perfectio quædam ipsius animæ intellectiuæ, & eius opus: igitur in prima operatione res materialis intelligit: nam in prima operatione nondum est formata illa perfectio: igitur in re omninò materiali recipitur immateriale: præterea tale nullo modo poterit dici immateriale, cum sit ipsamet anima quæ operatur, & quæ intelligit: & si quis rectè consideret, hæc opinio difficillimè potest sustineri, & multò minus intelligi. Sequitur etiam, quòd ante operationem talis sit potentia: quare etiam tunc immortalis, in eodem enim genere sunt actus, & potentia, nõ igitur intellectus tantum.

Experimentum etiam Auicennæ sexto Naturalium ad hoc facit: dicit enim ille, Si quis seipsum consideret facillè intelliget, se non esse oculos, aut cerebrum, uel cor, aut manus, neque hoc torum, sed  
m aliud

aliud quoddam, quod omnia hæc agitat, mouet, regit, atque gubernat.

**X L V I.** Est etiam argumentum Scoti secundum ab alio sumptum, quod ab eo recitatur tale: Simplex forma in diuersa distrahi non potest, nec à sua natura separari, per quam consistit: anima est forma simplex, quoniam non ex elementorum confurgit mixtione, non enim sic supra seipsam, ac supra mixtum ipsum corpus dominaretur: igitur anima à sua natura, per quam consistit, non potest separari, atque ideo nec interire: formæ enim mixtorum compositæ sunt, ideoque soluentur: ipsum etiam mixtum à forma sua derelictum corrumpitur. Non obscurum est autem, hoc argumentum pro Platonis opinione facere, cum de omni concludat anima secus quam primum, quod ab illo inducitur, quod nos iam cum esset Auicennæ sub illius nomine recitauimus, nam id de hominis anima tantum concludit. Hoc uero non ut Scotus recitat, sed locupletius declarauimus, atque ad mentem (ut existimo) auctoris, quicumque ille fuit: nam mirum, quam oscitate has duas rationes tradiderit uir ille alioqui tam egregius, & quam frigide totam quæstionis partem, quæ pro immortalitate facit, cum uix præter eas duas rationes, unam, atque eam uulgatissimam, ex tanta copia superaddiderit: quid causæ fuerit in hoc, præter sancti doctoris inuidiam, inuenire (ut dixi) nequeo.

**X L V I I.** Est etiam famosissima ratio illa à miraculis, præcantationibus, ostentis, futurorum prouidentia, somniorum prædictione, necromantia, umbris, prodigijs sumpta: quæ omnia ad hoc tendere uidentur, ut Dei

ut Dei de inferioribus curam ac animi comprōbēc  
nostri immortalitatē: quæ omnia cū in libris de  
Arcanis luculēter tractauerimus, hic tantūm quæ  
necessaria sunt, atq; ibi prætermiſſa loco suo subi-  
ciemus.

Extremum est, ut duas etiam Leonici rationes  
ex dialogo suo sumptas adijciam, quas ille suo mo-  
do Platoni adſcribit: est autem prima, Animus uel XLVII.  
à meliore se, uel à deteriore, uel ab æquali, si corrup-  
pi potest, corrupetur: à deteriore quo nam pacto  
uincetur: ab æquali etiam uinci nequit: imò quis ei  
æqualis, nisi ipse sibi, aut sui similis: an ergo ab alio  
animo, uel sibi met infensus exitiū sortietur: omnia  
autem ex illius genere, cōtrarietate, & noxa carent  
uitæ, cū sint causæ: à meliori etiam corrumpi ne-  
quit: nam etiam eorū, qui illum interire affirmant,  
opiniōne, quæ animo meliora sunt, æterna, ac in-  
noxia sunt, illiç fauent.

Altera: Quod à seipſo mouetur, immortale est: XLIX.  
animus eiusmodi est, quare animus αὐτοκίνητος exi-  
stens, perennis est. Declarauimus enim in Platonia-  
cis rationibus, animum seipſum mouere, atq; ideo  
sic à Græcis uocatum: quare & ipse à seipſo moue-  
bitur: sed nō ea ratione immortalis est, qua seipſum  
mouet, & qua à seipſo mouetur, quāuis hæc uicif-  
ſim haud dubiè se inferant: nāq; quod seipſum mo-  
ueat, ostensum est, illum esse principiū, atque ideo  
desinere non posse: quod uerò à seipſo moueatur,  
facit ut perpetuò moueatur, abesse enim causa sui  
motus nō potest, tale igitur æternū est, atq; immor-  
tale: quod autem à se moueatur, id magis ex nutri-  
tudinē m 2 cis



cis animæ ui patet clarissimè, quæ spōte trahit, non impulsu aliquo alieno, cum sensu careat: unica em̄ fuga à Peripateticis inuenta est, dicētibz, animum à sensibilibz moueri. Porro hīc non existente ullo sensu, non ne ipsa à seipsa mouebitur, impellaturq; hoc autem æternum esse decet, non secus ac cœlestia, quæ & ipsa sponte, & à seipsis mouentur.

Nec me præterit duas alias rationes pro animorum immortalitate adiecisse, alteram quidem in libro de Consolatione, à principij interni, & externi comparatione sumptam, quod in homine quidem intrinsecus, in belluis extrinsecus uideatur: alterā à diuina iustitia, in libris de Arcanis, cui plures alias, etiam probabiles adieci argumētationes, quas huc transferre nolui, non tantum ne quis repetitū quicquam in nostris libris arguere queat, sed quod ratio à iustitia Dei sumpta prouidentia illius de singularibus præsupponat, quā Auerroës negat. Aristoteles non adeo apertè docet, ut illius autoritate, tanquam clara, hīc uti possimus: ibi uerò cum longa oratione pertractetur, inconsulti hīc esset illam præterire, & addere quid sequatur ex ea: multo uerò magis nugacis integram libri, ac magnam partem huc transferre, tum præsertim, quod hæc non pauca sint ad ostendendū propositum, neque debilia si cum ijs, quæ subiiciemus, adiungātur, unum tamen subiecisse uelim, Pomponatiū in suo libro, de Fato, non alia magis causa, quàm prouidentia diuinæ laborare. Porro cum hæ rationes maxima ex parte nihil concludant, solutionē his adijciam, nec tamen quisquā operam in illis, tum in respon-

sionibus

tionibus perlegendis Iulisse se putet: nam ex utrifq;  
tandem uera omniū natura deprehendetur animo  
rum, & humani intellectus immortalitas quātum  
ad agentē solum extenditur, clarē eluceſcet: ex qui-  
bus cōiectari, quid Philoſophus de animo noſtro,  
ac cæteris, cum de intellectu ſtatuert, quid uē ſecū-  
dum naturalia principia credendū eſſet, facile lice-  
bit. Nec uerò in his quicquā ſtatuimus, cum uerita-  
tem ipſam ſolus Deus ad unguem teneat, impar-  
tiens quibus uult per legem, ac prophetas. Nos ue-  
rò naturales ſumus, non Theologi: æqueq; perab-  
ſurdum eſt, in naturalibus Theologū agere, ut in  
Theologia philoſophum. Quòd ſi per hæc non ad  
exquiliſtam rei huius ſcientiam peruenerimus, cum  
Galeno dicemus illud, *νεπι χρειας αναρνοιας*, ſatis eſſe  
in difficillimis quæſtionibus propius acceſſiſſe.

*Reſponſiones ad argumenta præcedentia.*

**I**Taque animum humanū qua parte agens non  
eſt intellectus, corrumpi iam, ac deſinere, philo-  
ſophorum Peripateticorum ſententia docuimus,  
atque id uerè: nam quod ſuper eſt, reliquarū intelli-  
gentiarū munere fungi debet, quare pati nō poteſt:  
deſunt etiam ſimulachra rerum, quæ ab imagina-  
tione, ratione, ac memoria ſuppeditantur: quare ne  
propria careat functione, interire illum neceſſe eſt:  
hoc autem pati mortalibus cōmune eſt, agere im-  
mortalibus: quare prætermiſſo argumento de or-  
dine, in quo nihil diſſentiens à philoſophi ſententia  
concluditur, ad ſequens reſpondeo, bonū eſſe in or-  
dine uniuerſi, quādo omnia in ſinem ordinis mūdi

m 3 ſunt

sunt cōstitutat: illa tamen portio infinitæ paruitatis est, si ad totum cōparetur: idem autem de partibus terræ dicendum erit, quæ in toto non per se ad curam diuinam pertinent, idem de belluis, atque alijs mixtis succedens argumentum pro immortalitate agentis intellectus rectè concludit. Cum uerò dicimus in sequente nostra, habere infiniti uestigium, quanquam nihil aduersus nos cōcludat argumentum, sitq; pars argumenti philosophi, animaduertendū tamen, hæc omnia esse potentia infinita, atq; ob id solūm de agente probare, à quo ortus est. Quod succedit etiam in rem nostram facit, nec tamen sequitur, ut patiens sit immortalis, quia ratio illa, qua nō potest intelligere singulare, ut singulare est, pendet ex agente intellectu, sine quo nihil intelligit. Sequens etiā, & si nihil probet à nostra opinione alienū, attamen non uidetur cōcludere, cum multa animalia sint, quibus homo nō indiget: non igitur homo est finis omnīū, sed perfectio uniuersū: homo autem apud illos est propter intellectum, ut Deū intelligat, qui hæc fecit: & hæc est necessitas in specie, & nō in indiuiduo, uelut quod generet: propter hoc autem uelut ad generationē calcar uoluptatis additū est: sic ad hanc cōtemplationē sciendī inextinguibilis cupiditas, quæ per totū genus sparsa humanū facit, ut nūquam frustretur hoc fine, ad quem productus est. Ad id Ciceronis respōdemus, in uia Philosophorū esse eam rationē imperfectam præcedentis cōtemplationis propter rudes inductā, qui uia Philosophorū Deum nō possunt, nec eius opera admirari, quibus per hæc auxilia etiā ultimi  
finis

finis perfectio impartitur: nec quantū ad hoc est necessariū ponere animi immortalitatē, cum nec nos, etsi illā admittamus, possimus confiteri multā, & pœnas separatis animis incūbere, quāquam de hoc dubium sit hīc, nec locus dicēdi uideatur. Sequens etiā innititur probabilibus vsq; eō, quod supra se reflectatur: hoc autē ei per se non cōtingit, sed uelut oculus se uidet in speculo, sic intellectus simulachrorum aliorū auxilio: ideo potius cōcludit oppositū, cum intelligētiæ semet per se ipsas intelligāt. Quod uerō à Petro Manna adducitur, difficile est, non ratione cœli, sed obiecti potius: nā sensitiua necessariō ab obiecto mouetur: quia tamen est pro opinione nostra, nam actiuus solus est qui deliberat, ideo nō laborabo, sic & ad sequēs, ut dictū est, illud tamen de uniuersalibus falsum est: nā si intelligit per uniuersalia species immateriales, prout ueræ sunt, corrūpuntur, & decidūt intellectu nō considerāte: sed dicūtur æterna propter propriā naturā, sicut & patiens intellectus: eadē enim est ratio utriusq; in ambobus. Ad aliud cum de omni anima cōcludat antecedēs primō est dubiū, ut patet de anguillis, quæ diuisæ habēt partes uiuētes, & sentientes etiā, & de omnibus arboribus: nec tamen ualet argumentū, quia impartibile, quod à materia nō pendet tale est per se, & etiā ad cōsequentiā omnium aliorū, nec causa, quod materia careat, est quod diuidi nō possit, sed quod prior sit corpore: quid enim uetat, ut sit tāquam punctus, & tamē in actu? hoc autē inferius melius declarabitur. Quod si quis dicat, uirtus in non quanto est infinita, ut facile demōstrari potest:

impolitur

m 4 sed



sed anima gubernat corpus existens nō quanta, igitur infinita. Breuiter dico, quōd oportet fateri illā ad consequentiā corporis esse diuisibilē, licet per se nō talis sit: ad id de separatione dico, quōd in materialibus sensus, & maximē ratio hoc facit, nec ideo est separata: de cōiunctione cū separatis substantijs dico, ut docui in argumentis ad oppositum, quōd quantū ad huius uitæ actus pertinet, quōd est cōiunctio ualde abusiua: sicut nō ualet, oculus uidet Solem & stellas, illæ sunt æternæ, igitur & oculus: sed oporteret ut uideret tāquam æterna, & intellectus intelligeret Deū, ut Deus est: at hoc esse non potest, aliter fieret Deus, & hoc superius etiā declarauimus. Ad id Auicēnæ dicimus, quōd nō habet illā operationē, quæ à corpore, ut obiecto nō pendeat, nā de hoc est tota lis. Cum uerō subiicitur in argumento Girardi, quōd non assequemur uirtutē: dicimus ad id de fortitudine, tanq̄ ad difficilius, quōd postquā homini mors necessariō aduenit, maxima felicitas est in maxima uoluptate, etsi sit breuissimū tēporis, hæc autē est in opere perfectissimo secūdum uirtutē: nemo est enim qui nō dicat, Hectore & Achillem fuisse Iro feliciores, etsi illi iuuenes mortui sunt: nec uidetur felicitas uitæ lōgitudine cōstare: nā Alexander Magnus trigessimūquartū agens annū mortuus est, quē tamē felicissimū fuisse cōstat apud oēs. Idē uidetur in amātibz, qui ut potiātur ea incredibili uoluptate, manifestissimis se exponūt uitæ periculis, & fortis uir nō certē morti se obijcit, sed ingēti periculo. Et quanq̄ Martius ille, qui se in hiatū præcipitē dedit, manifestæ morti se obtulerit, nihilomi

nihilominus forſan erat aliqua à Dijs ſpes, quæadmodũ de Iphigenia fabulatur Euripides, nã pro ſacrificio à Dijs poſtulata à Diana uiua in Tauris trãſlata eſt, ſacerdote qui illã mactabat eluſo. Ariſtoteles autẽ diceret, quod ille nõ fuit actus fortitudinis, ſed amẽtiæ potius, quãdoquidẽ fundabatur in reſponſo Deorum, quos ille eſſe negabat, nec poſteſt caſus ullus fingi Dijs ſublatis, in quo certa mors patriæ ſalutem ſit allatura, ſic ut aliter ſeruari nequeat, quanquam innumeri de manifefto diſcrimine nec etiam Dijs poſitis, ut patet de Iſaac cũ ſacrificaretur à patre: poſtquam enim leges ſequimur, incertum eſt, an talia reſponſa ſint tentandi gratia, quia multo minus certũ erit de illis, quã de ijs, qui ob naturalem rationẽ periculo ſe exponunt, cũ etiam Lacedæmoniũ tam pauci innumeram Perſarum multitudinem expectarent, ſolus Leonidas Dux periculum maximũ intelligebat, & cũ nec illi omnino ſpes ſublata foret ſalutis, nam & poterat Xerſem poenitere itineris ad Thermopylas, tum etiam poterat ille prohiberi, quod & ſignificauit, cũ dixit, Virtutem, non multitudinem in bello ſpectandam: quare omnes fuere fortes, & in omnibus ſpes aliqua, in multis etiam multa, ſalutis erat, nec tamen ulla in hiſtoria euidentioris periculi exemplum liceat inuenire: at ex his liquet fortes uiros uel eſſe ſtupidos, uel ſapientiſſimos, mediũ nanq; timidi ſunt. Sequenti autem argumẽto iam reſpondimus, ad aliud reſpondetur, quod illud arguit, uerũ non tamen ſequitur immortalitas: nam ultra hoc, quod ſit immaterialis,

lib. 2. ca. 12.

m 3

requi

requiritur etiam quod sit substantia quædam, uel quod nullo modo dependeat ab objecto, quorum neutrum uerum est, de patiente loquendo: unde miror, quod tales concedant, intellectum esse substantiam, nam sic esset magna difficultas, nisi per intellectum intelligant animam intellectuam, est enim sic uocatus intellectus accidens quoddam immateriale, & talia etiam sunt uniuersalia, quæ uocantur secundæ substantiæ, intelligendo substantiam uerè, sola prima substantia talis est per idem: ad sequens argumentum ad id de uoluntate, quia uoluntas secundum Philosophum non est intellectus agentis, sed practici, ut dicunt, uel patientis, sed uerius ex sententia Philosophi, rationis. Ideo respondemus, quod uoluntas, uel capitur pro naturali desiderio absq; electione, etenim nihil est absq; illo: nam & belluæ, & elementa uidentur quadam uoluntate prædita, quanquam elementa uideantur ab anima mundi contineri in suo loco, & ferri ad illum, si sint extra ipsum: & hoc modo uoluntas naturalis est ad bonum, non ad summum bonum. Si uero loquamur de ea uoluntate, quæ fit præuio discursu, illa non est naturalis, prout naturale à rationali distinguitur: non est autem inconueniens rationale desiderium frustrari: quod si contendas illum impulsu naturalem esse ad summum bonum, quanquam uix hoc uerum esse possit, dico intellectus agentis tanquam principalis hunc esse: namq; ut diximus, & intellectus agens, ut substantia quædam aliquo impulsu mouetur, adeo autem hoc est generale, ut materiam primam, quæ solum potentia

est, di

est, dicant appetere aliquid, scilicet formam: quid igitur mirum est de agente intellectu? Argumentum sequens est ualde probabile, stat enim sensitiuam facultatem, imò (ut dixi) Aristoteles concedit habere duos impulsus: & quamuis non concedat solam esse sensitiuam in homine, rationi tamen uoluntatem, non contemplatiuo intellectui, qui solus uerè est intellectus, tribuit. Ad sequens non respondemus: concludit enim supposito, quòd intellectus agens sit corruptioni obnoxius, aliter dicimus animam totam esse formam, sed pars immortalis perfectio est mortalis: nec est uerè forma intellectus agens, nam non maneret: post compositum aduenit extrinsecus, unitur tamen homini sic, ut fiat unum per se: & quia hoc requirit longam declarationem, ideo suo loco referuabitur. Experimentum Auicennæ concludere uidetur, quòd non sit uirtus in corpore, tanquam in subiecto. Attamen Galenus diceret, quòd uidetur esse in cerebro: illud etiam omnino non excludit, quia uirtus, qua hoc experimur, est ratio, non intellectus, cum sit de singulari: bellua etiam si hoc posset considerare, non secus diiudicaret, cuius anima mortalis est. Argumentum ex Scoto factum æquiuatione peccat, nam forma est simplex, non tamen ita simplex, ut non sit aliud quàm esse, suum autem esse corrumpitur cum ipsa: illud clarum est etiam in clementorum formis, quæ corrumpuntur, ut partes compositi, id est materiæ, & formæ, non autem in partes, unde duplex corruptio. Ad sequentem suo loco dicemus, tum de causis horum: ad aliam, anima

corrum



corruptitur per alterius consequentiam quod corruptitur à fortiore, aliter non corrumpetur, si quod corrumpit esset debilius: unde ens, & uenum, & tegula fortiora sunt corpore in eo, quod illud corrumpunt, nō autem anima. Ad illud quod sequitur responderi potest dupliciter, uel ut Albertus tenet, quod anima uegetatrix habet sensum conuenientis, & contrarij, unde trahit humorem radice, & expellit lachrymam, non tamen habet sensum delectantem, uel contristantem, sicut canes sentiunt odores florum, non tamē ut delectabiles, aut ingratos, & sic trahit anima mora ab obiecto, & est responsio magis ad rem: uel dic, quod mouetur ab anima mundi, ut elementa. Quod si quis argumentaretur, Intellectus est in corpore secundum esse, non quātum, & indiuisibile, nec ullo modo mouetur, ut alteretur: igitur esse illius est ex toto abstractus, & immaterialis: dico, quod ut intellectus est, talis est, uerūm ut est in anima, & dependet ab obiecto materiali, corruptibilis est: & hoc est clarum, quia concludit de patiente: neganda igitur est sequela, cum sit à non absoluto, nec per se tali ad per se tale, est enim non absolute immobilis, nec absolute in non quanto, sed ut intellectus est: cum igitur concluditur, ergo absolute est immortalis: plus assumitur in conclusione, quā sit præmissum in antecedentibus propositionibus.

*Opinio unitatis intellectus cum suis fundamentis.*

**H**is tot difficultatibus Philosophi coacti, cum neq; intellectū mortalem fateri possent, nec  
si im

si immortalē ad corporum multitudinem numerarent, facile erat tot obiectis respondere, ad illius unitatem confugerunt: Fundamenta autem erant hæc:

Primum, quod cum mundus esset æternus, hominum multitudo erat infinita, atque ideo etiam animorum numerus: ostensum est autem in tertio Physicorum, quod ad infinitum in multitudine sequitur, multa etiam esse infinita, & unum altero maius: sequebatur etiam alterum duorum, uel sine facultate substantia, uel sine opere facultas, si numerus ille infinitus admittatur: tum uero, ut omnino non cognoscentes animæ, & ociosæ essent, uel ut in finitæ cognitiones, infinitæque alterius ad alteram orationes, ac significationes, auditiones uel, manebat & difficultas de illarum ad corpora inclinatio: relinquebatur etiam ambiguum, cur Philosophus nec in libro de Anima scripserit de intelligentijs, nec dum de prima Philosophia tractat loquatur de intellectu: supererat & causa distinctionis illorum toties quesita, an à corporibus ipsis sumenda esset: erat & illud difficile, quo nã pacto ad corpus esset in potentia, edocere: nam in omnibus, quæ fiunt, actum potentia præcedit: & quomodo ad illud ueniat, an per motum, subitam uel mutationem: & si prius est, quam corpori iungatur, quo nam pacto homo fit unus: inæqualitas etiam, comparato tempore, quo solus manet ad id, quo corpori iungitur, obstabat: namque ratio ea est, quæ infiniti ad finitum, ac magnitudinis ad punctum. Erant & argumēta uerisimilitudinis, ut quoniam eadem uidea

uideatur scientia discipuli & præceptoris, ex uno in alium migrante, quod unum est: quod non contingit in sensibus, namque in illis alio modo uidetur unus, ac alter, nec ex uno in alium transit imago illa: omnes etiam homines, ut in adagio est, omnia sciunt: quod fit, ut omnes simul intellectum unum habere uideantur: uniuersum etiam genus humanum procedit, perpetuo artibus ac disciplinis proficiens, homo singularis nequaquam, sed ut efflouerit, intercidit. Est autem perfectio formæ ultimum, tum maxime eius que materia caret: Sic etiam tuemur, hominum speciem non esse intelligentiis locupletiore, uel digniore, quandoquidem & homines omnes simul tantum unum habeant intellectum, atque illum ultima intelligentia imperfectiore, qui uniuersis præteritis, presentibus, & futuris satisfaciatur. Itaque multorum opinione Theophrastus primus, inde Themistius, ac Simplicius, tum Auerroës in hanc sententiam descenderunt: sed non unanimes. Platonem etiam in eorum sententiam trahere conati sunt, uel inuitum: indicio quoque magno fuisse putant, quod Aristoteles, tam acer antiquorum insectator, Anaxagoræ mentem omnia miscentem non prosequitur oppugnando, sed quod non admodum explicite locutus sit, illum arguit. Accedit, quod Mentem ipse Philosophus singulari numero semper, plurali autem nunquam appellat, nisi eam uocans, ut eam non plures, quemadmodum intelligentias, sed unam tantum esse intelligamus. Maximum autem argumentum

Cap. 5. in fine pro intellectus unitate est, quod Auerroës adducit

tabula

tertio

tertio de Anima, Si intellectus essent numero plures, & specie unuissent, & formæ intellectæ numero plures, specie autem una, igitur ab his denuo per intellectum alia forma uniuersalis excipi posset: at uerò formæ exceptæ pariter numero differrent, conuenirent autem in specie, quare sic in formis intelligibilibus eiusdem rei procellus in infinitum esset. Verum inter hos unitatis intellectus defensores non satis bene conuenit: nam quidam unum, quidam duos esse uolunt æternos, atq; uniuersis mortalibus communes. Nam & Theophrastus ex Themistij recitatione, ut supra retulimus, & ipse Themistius, & Simplicius, ac Auerroës agentem & patientem immortales, ac communes omnibus hominibus statuunt. Sed nec inter ipsos satis conuenit: quidam patientem tantum nostri partem faciunt, ut uidetur innuere Theophrastus: quidam neutrum, ut Auerroës sentire uidetur: quidam ambos, ut satis aperte Themistius. Auerroës namq; primo de Anima, & ex uerbis etiam Philosophi tertio Cœli, quod omnis forma naturalis cū composito initium & finē habeat, inquit, animam in quibusdam partibus nullo modo moueri nec per se, nec per alterius consequentiam, quamuis cū nulla in parte per se moueatur, alterius tamen causa moueri possit: formas autē omnes aliorum causa, idest subiectorum moueri, haud obscurum est. Quamobrem animam, quæ est intellectus, asistere potius, quàm hominis esse formam iuxta illud existimandum est. Quod uerò Themistius patientem, aut potius (ut dicunt) possibilem etiam pro

Cap. 66.  
 T. Cap. 1.



pronuntiauerit immortalem, atq; ideo unum, patet ex illis uerbis, dum declarasset ea Philosophi uerba,

Ὅτι δὲ ἐκ ὁμοίας ἢ ἀπαθείας τὸ αἰδιότικὸν καὶ νοητικὸν inquit ἀλλὰ μὴ πρὸς γὰρ τὸ δυνάμει ἢ, διαφύσει φασὶν ἀπαθεῖν αὐτὸν εἶναι καὶ χωριστὸν καὶ διηλικὸν τὸ εἶδος, καὶ δυνάμει τοῦτον ἀλλὰ μὴ τὸν, καὶ μὴ μετέβαιναι αὐτὸν τῷ σώματι. μὴ δὲ ὄργανον ἔχει σωματικόν. μὴ δὲ ὁμοίαν τὴν ἀπαθειαν εἶναι τὸν πρὸς καὶ τὸν αἰδιότικον.

Cap. 4. Dixerat Philosophus tertio de Anima,

Quoniam autem non similis est patiendi immunitas sensitiui, atq; intellectiui.

Themistius ex his colligit patientis, aut potius potentia existentis intellectus perpetuitatem illis uerbis hoc ferme significantibus,

Sed de potentia intellectu quidem disputans, pati illum dixit non oportere, esseq; separabilem, et formarum capacem, et talem esse potentia intellectum, sed non hunc, et non mixtum corpori neq; corporeo instrumento utentem, neq; huius ac sensitiui similem patiendi immunitatem.

Nullibi uero clarius quid sentiret Auerroës, quam in disputationibus quas senex, ac quasi maturus composuerat nulli interpretationi alligatus, de ipso intellectu intellectuacq; anima declarauit: di-

Dub. 8. sputatione enim prima, inquit, aduersus Algazelem differēs, Ideo anima Petri, & anima Gulielmi, quodā modo una, atq; eadem anima dici possunt, si con-

si con

si considerentur ex parte formæ: & sunt multæ alio modo, scilicet ratione subiectorū. Inde paulo post subiungit, Ideo dicimus, quod anima uerè est similis luci, quia sicut lux diuiditur diuisione corporum lucentium, postea unitur lux remotis corporibus lucentibus: sic ad unguem est de anima cum corporibus. Simplicius autem agentem mentem uocat, seu illum ex quo, uel à quo procedit, potentia autem procedentem, ut duo sint tantum quasi ratione, unde ille ἀπὸ τοῦ πρῶτου τῆς ψυχῆς τῆς ἐξουσίας. Themistius uerò unum fermè alteri immisceri putat: namque (ut dixi) ambos homini inesse credidit, & illos simul mentem constituere: unde ait,

Μικτόν γὰρ πῶς ὁ νῦν, ἐκ τῆ τῶ πνεύματι,  
καὶ τῶ σώματι.

*Idest, Mistam quidem quomodo intellectum: ex agente & illo, qui potentia est.*

Satis dictum esse de his iam puto, quandoquidem non satis dicere quid sentirent ausi sint: sed per ambages, ut admirabiles uiderentur, multa & inuicem sibi contradicentia iunxerint. Quid mirum igitur, nullum in his finem ad hanc usq̄ diem inuentum: sed ex ambage in ambagem, ex uortice in uorticem profundiore descendimus. Unitatem certè intellectus, si de natura, origine, & essentia loquimur, illis concedimus: nam non plus homines inter se differunt, quàm equi, uel canes: uideatur etiam una omnium origo, quoniam omnes indita ab incunte ætate eadem habent principia, uelut & hirundinibus nidum construendi ratio

n omni

omnibus eadem; At uerò si per intellectum scientiam intelligamus, quæ intellectus potentia dicitur apud aliquos, quamquam nos patientem à natura, & rei proprietate potius appellemus, hunc, ut iam diximus, eundem in omnibus esse fatemur hominibus: namque scientia Pergei Apollonij, quod hyperbole quamuis perpetuo continentibus trigoni lateribus approximetur, nunquam tamen coniungatur, eadem est cum nostra: nam res scita, atque cognita una est, atque iisdem medijs intellecta, ueluti quod quadratum aggregari ex dimidio lineæ, & addita superat rectangulum ex addita in aggregatum eiusdem & lineæ diuisæ: sed hæc scientia est accidens quoddam sui natura perpetuum, atque sic unum, ut autem in singulis hominibus diuersa, nec perpetua, cum in dies accipiat incrementum: nam quod ex illa post hæc nos inuenimus nemo intellexit: nec est dubium, quin ante Archimedem latuerit quod ad secandam spheram in partes, quæ sub ratione data essent, necessarium esset scire cubi, & numeri dati ad latus ipsius proportionem. Ergo manifestum est, scientias rerum non esse uerè perpetuas, nisi extra nostram ponantur mentem, sed augeri, minui, ac deleri, subireque uicissitudines, uelut & mortalia omnia reliqua: nam & subiecto numero differunt, quod & ipse Auerroës, dum de dissectione loquitur, confessus est. Ergo unitatem hanc in intellectu potentiæ ponere superuacaneum est, cum non ob aliud unus intellectus censetur, quam ob uitandam multitudinem formarum, quæ post mortem manent

manent: illo igitur corruptibili existente, quorsum attinet unum facere: nam formas materia exortas pro subiectis compositis numerare nullum est inconueniens. Relinquitur igitur, ut de agente denuo altercatio super sit: itaq; cum multa à beato Thoma rectè, & à Pomponatio aduersus hanc opinionem, tum à recentioribus omnibus dicta sint, & nos illam in secundo de Cōsolatione oppugnauerimus, hoc unum tantum dixisse ante illius declarationem sufficiat, quod neq; Scotus uir tanti ingenij, neq; nos, quibus nihil ex arduis quæstionibus Philosophiæ, aut medicinæ uel Archimedis, aut Ptolomæi, uel etiam difficillimis alijs inuentionibus negatum fuit, nec ullus alius ingenuus uir ex ipsius Auerrois expositoribus intelligere, uel multò minus explicare potuit: sed inuoluentes uerba sententijs, ac sententias uerbis, in idem semper, ut mulierculæ, cum de religione ac fide interrogantur, redeunt: nunquàm uerò uel explicare, uel docere hanc suam unitatem ausi sunt. Nam si per intellectum lucem quandam intelligunt, diuersum hoc est à lucis similitudine: nam cum similitudinem intelligi uolunt, ut lucis imago Solis, quæ in pluribus est oculis, duo sequuntur inconuenientia, imò tria: Primum, quòd intellectus hic substantia non erit, nam similitudo substantiæ, substantia non est: intellectus uerò substantia quædam, ut docuimus, existit: & imagines illæ, etiam quòd lux una sit, diuersæ tamen sunt: non enim imago, quæ est in meo oculo, est imago quæ est in tuo, quamuis lux, quam uidemus, eadem sit: illa etiam

sui

n 2

lux



lux non erit in nobis, neq; sciētia in nobis erit, sed in re exteriorē, uelut si lucis imago, quæ à nobis uidetur, seu uidendī medium est, si ipsa uideret aliud, non tamen nos per illam uideremus. Quod si lucis imago & ipsa substantia est, nihil amplius quærimus: nam quod omnes animæ intellectuæ ex una principali substantia exoriantur, pendeant, nec reprobamus, nec uolumus reprobare: ac si una est, eademq; lux in omnibus, si ponatur forma hominum & indiuisibilis, profectò erunt omnes homines unus homo, nec esse potest, ut quod unus sciat, alter ignoret: sin autem non est forma, quomodo nos per illam intelligimus, non autem magis sentire, quàm intelligere, nosmet percipimus. Porro hoc ipsum quod esse non possit, infra ostendemus: quia unus est uerè homo, ac ita unus, ut indiuisibilis sit, nec nisi per instrumēta successione admittat. Hæc autem *mirabilia* sunt, & incredibilia, digna q; his Philosophis, qui solo fastu, ac nomine Philosophiam exercent: nec enim esse potest, ut eiusdem speciei accidentia in uno sint subiecto, quomodo ergo plures erunt Geometræ, aut Architecti? Sed quorsum hæc ijs, qui nihil sibi impudens fateri arbitrantur. Porro quomodo intelligentiæ cœlum moueant, & quomodo in illo sint, non est presentis negotij explicare, quanquam frustra quæ tam longè absunt quæramus, cum nos ipsi ignoremus, neq; enim gloriosum, & laude dignum est, maximas aggredi quæstiones: sed longè laudabilius est, quas præ manibus habemus soluere, etiam si tenuiores non parum illis fue

fuerint. Vnum tamen constat, ibi unicam esse intelligendi operationem, atq; eam omnino indiuisibilem, & inuariabilem: uis autem, an natura quædam toto cœlo sparsa sit, quæ illud ad intelligentiæ contemplationem moueat, uelut ad boream magnetem, nondum liquidò constat, & si constat, non est presentis negocij, tum maximè sine ratione demonstrare.

*Declaratio quorundam præmissorum*

*ad demonstrationem intelle-*

*ctus humani.*

**I**gitur tanquàm ab initio rem tractaturi, illam non leuibus argumentis tentemus, Galeni methodo, ac dialectica utentes: nemo enim ubi animum intendit acrior, aut subtilior, uel intentior fuit: ubi contemptim, eò periculosior, quò audacior: quare hinc à manifestissimis exordiamur. Principiò illud supponimus, Homine esse unum, nãq; specie homo unus est, singularia igitur unum sunt numero: est etiam homo unus, quia omnia uoluntati subiiciuntur, ac parent: & est illius una forma, unaq; diffinitio: & si homo non esset unus, esset hoc ob animam rationis participem, nam illa in belluis non adest: igitur nec belluæ unum erūt, cum ad plantas comparabuntur: omnes etiam operationes in eum referuntur, idem est qui uidet, intelligit, memoratur, audit, tristatur, desiderat, dolet, ratione utitur. Est autem adeo unum illud, ad quod omnia referuntur, ut si sentiat, nō duo simul percipere possit: atq; primò de his, quæ uno sensu

n 3 sentium

Cap. 7. sentiuntur, docet Philosophus libro de Sensu, ac sensibili, tum de pluribus dicens,

Ὅνκ ἄρα ἐνδέχεται δύοῖν ἅμα αἰσθάνεσθαι τῆ μὲν αἰσθῆσει ἄλλοι μὲν εἰ τα ὑπὸ τῆ αὐτῆ αἰσθησῆ ἅμα αἰσθάνεσθαι ἑἴτερ ἢ δύο δυνάσθη ἢ ἴσῃ τα κατὰ δύο αἰσθῆσεις ἐνδέχεται ἅμα αἰσθάνεσθαι, οἷον λευκὸν καὶ γλυκύν.

Idest: Non igitur contingit duo simul sentire uno sensu. At uerò si quæ sub uno sensu cadunt simul duo sentire non queat: manifestum minus quæ sub duobus sensibus sunt simul sentire eam posse, uelut album, et dulce.

Forfan quis obijciat, illum inferius sentire contrarium, fuisseq; hanc argumentationem, non sententiam. Verùm inferius de coniunctis agit sensibus: simul autem illa sentire, quæ iam in unum conuenerunt, nullum est inconueniens: itaq; illud ipsimet experimur, aut succedente altero alteri non per insensibilia tempora, uel simul in unum pluribus coeuntibus plura nos sentire, atq; ea de causa longè difficilium per plures sensus id agere, quàm per unum: nam album nigro coniungitur facilius, quàm dulci, aut quàm consonantiæ. Quòd si duo simul aliquando sentire uideris diuersa, nec mista celeritas temporis te ipsum fallit non animaduertentem, uelut cum trifurcam linguam uiperæ uide re arbitramur, aut rotundam ignis imaginem, cum lignum ardens circunvoluitur: nec hoc negat Auerroës, nam & in aqua celeriter currente duas solis

ſolis imagines ſpectare nos poſſe affirmat, cum an-  
 tequam prioris ſenſus exciderit, alia aqua ſubter-  
 fluente, ſecunda excitetur: atq; ideo, quod unum  
 eſt, duo ſenſus eſſe dijudicat. Idem etiam in imagi-  
 natione, & ſenſu, & ratione contingit, nam nemo  
 ſimul uidet, & imaginatur, aut audit, ac intelligit:  
 imò cum lego, ſcriboq; ac intelligo, magna hoc, ac  
 celerrima cum ſpirituum fit permutatione, ac uí-  
 ciſſitudine: unde hæc ſi ab inſuetis fiant, corpus, &  
 robur non parum exhauriunt. Quòd ſiquis inten-  
 tus uideat, aut cogitet etiam, uehementibus ſonis  
 aut doloribus non commouebitur: felicemq; arbi-  
 tror tum alias ob cauſas, ſed ob has præcipue Ar-  
 chimedem, quòd patriæ miſeriam morte præuen-  
 tus non uiderit, & quòd mortis ſenſum contem-  
 platione ferme totum effugerit: nancq; magna ex  
 parte iam uita conſiderat, cum ad ſenſum doloris  
 ex contemplatione animus eſt reuocatus: ob id  
 etiam, qui noxiòs in equuleo examinant, non per-  
 mittunt, ut ſileant, ſed uerbis illos perpetuis ſtimu-  
 lant: qui uerò conſuetudinè ſecuti ſunt, exiſtimant,  
 ob id tantum illos uerbis detineri, ne tempus ſu-  
 mere poſſint ad compoſitam reſpõſionem molien-  
 dam. Plurimum igitur facit ad dolorum remiſſio-  
 nem intenta cogitatio: ſed plures nõ ſciunt, pauci  
 nouerunt. Verum in tormētis publicis plus obest  
 miſeria, & circumambiēs calamitas, tum uerò uel  
 grauiffima iniuria, uel conſcientia ſcleris, quàm  
 dolor: at in morbis non difficile eſt, quòd nunc di-  
 cimus cuiuſcunq; experiri. Cauſam habet hoc, quòd  
 anima (nam & id Ariſtotelem conſiteri palàm eſt,  
 n 4 etiam



etiam si in alijs dissentire illum contendas) una est, atq; omnino indiuisibilis. Est etiã huius rei, quam diximus, argumentum, quod quæ uidemus imaginari nequimus dum ea uidemus, sed cum absentia fuerint, imò si protinus mentem adhibere uelimus, cum oculos subtraxerimus non succedit imago. Quod uerò nos fallit, est iam constituta impressio quædam, quæ omnibus membris, omnibusq; uirtutibus concessa uidetur: oculo enim inspectante, imago non illico, etiam si oculum claudas, excidit: hoc in medio tempore si audiendo animum ad moueris, simul uideberis uidere, ac audire, cum tamen solum audias. Hanc ob causam qui initio cytharam pulsare discentes tentant, multum fatigantur, coguntur enim in multa, ac diuersa animum partiri: cum uerò iam didicerint, impressio illa in digitis ad motum aptum retenta relinquit aures liberas. Facillimæ igitur operationis argumentum est, dum scribis, aut cytharam pulsas, posse loqui: unde etiam multi cytharistæ, & chorales, pauci cytharœdi. Horum omnium causa est, animæ indiuisibilis unitas, quæ quidem celerrimè spiritus distribuit ad omnia munia: illa, cum una sit, pluribus simul sufficere non potest: sed tamen dum imaginatur, intelligit: dum per sensus operatur, communi sensu inter sensibilia dijudicat. Porro uidetur intellectus ad imaginationem quasi se habere, ut communis sensus ad singulares: nihil autem prohibet, quæ sunt ut imperfectum, & perfectum simul in anima esse, uel quæ sunt ut actus ac potentia.

Ordo

Ordo autem in rebus octo gradibus finitur. Primus quidem est, quo res ipsæ sunt materiæ, ac magnitudini coniunctæ, existentes pro naturæ cuiuslibet qualitate. Secundus, quo in medio sunt, neque prorsus materiæ iunctæ, nec prorsus seiunctæ, sed medio quodam modo se habentes. Tertius, quo sunt in sensu iam à propria materia, & magnitudi-  
ne separata: neque enim, ut inquit Auerroës, si color cum materia ac magnitudine essent, simul candidum, ac nigrum, oculus per idem medium uideret: nam unus alterum impediret, uel alter alteri tum in medio, tum in oculo misceretur, nec oculus tam paruus turrim posset intueri, si turris imago cum illius magnitudine oculum ingredi deberet. Quartus est, quo sunt in sensu communi, & sic etiam magis à materia separantur: nam inter unum sensibile, & reliquum diiudicat, necesse est etiam ut res sensibilis sit ibi sub puriore modo, quàm ulla quæ in sensu ullo exteriori, id est puriore, quàm in oculo. Quintus est in imaginatiua: nam hæc concipit sensibile, postquam recesserit, quod facere nequit cõmunis sensus: & propterea hæc virtus est uerè media inter intellectum, & sensum exteriorem, ideoque quodammodo comprehendit infinitum, & quodam modo non: & quodam modo uniuersale, & quodam modo non: & quodam modo infinita, & quodam modo non: & idem dico de immaterialibus. Et hæc fuit causa, quod Galenus secundo De arte medendi, credidit, Cap. 7.  
belluas cognoscere uniuersale: nam belluæ habent imaginationem, Sed errauit: quia, ut iam diximus,  
n s sola

folia hominis imaginatio, intellectus beneficio adiuta, hoc facere potest: experimentum autem suum docuimus qua de causa illum fefellerit. Verum tanta est imaginationis ad intellectum similitudo, ut qui in mathematicis solum exercetur, ambo ea in unum confundant, idem esse existimantes. ¶ Sextus est, quo res sunt in ratione: hæc uero resilit, ac componit, quod imaginatio facere nequit. Est autem tanta inter intellectum, & rationem affinitas, ut non raro Philosophus nomina illarum in unum miscuerit, tum maxime, cum non ex proposito de eis agit: atque ob id etiam multi antiqui rationem crediderint esse intellectum: debemusque hoc primo beneficium Aristoteli, qui unus ante alios illa distinxit, sed & nunc nisi maxime exercitati differentiam inter eas facultates agnoscent; nam ratio de singularibus agit, cum intellectus de uniuersalibus. Est tamen multiplex inter hos similitudo: nam uterque componit, ac diuidit, resilitque ex uno in alterum necessaria connexionem: nam sine ea etiam imaginationi, & sensibus ipsis exterioribus hoc facere concessum est: utraque etiam uirtus imagines, quas Græci *φαντασμα*, præsupponit. ¶ Septimus est in patiente intellectu, seu materiali, seu qui potentia est: quomodo hic purior sit præcedente, iam satis dictum puto: ad perfectionem tamen deest, quod ipse ille non est qui hanc efficiat puritatem, quod recipiat, quod ab altero moueatur. ¶ Igitur Octauus modus solus perfectus erit, quo in agente est, sed non ibi est quicquam præter seipsum: esset enim patiens, dum reciperet, & materialis postquam recepisset  
igitur

igitur tunc ille ipse suo modo in rem conuertitur, & intelligit. An par est his tot functionibus, cum per unam administrantur animam, totidem substantias, an potius unam tantum substernere, cuius diiudicandum relinquo: uerum si illa una tantum, est negocium peractum: si plures, aut coniunctæ sunt, uel una alteram assumpsit: nam unum hominem, unamque illius animam, atque indiuisibilem esse docuimus. Porro quid ex his sequatur, inferius demonstrabimus.

Post hæc uidendum, quæ nam sint animæ, quotque illius genera, hoc unum supponentes, quod omne quod mouetur, ab aliquo mouetur: at nunc de motu, qui è loco ad locum est, loquor, ueluti manifestissimo, quippe quem solum ex omnibus belluæ cognoscant: in reliquis autem potius quod per motum fit, quam ipsum motum agnoscunt. Ergo elementa ipsa mouentur, atque ea à forma sua cum extrâ locum suum fuerint: & quamuis motorem in illis extrinsecus assignent, illum tamen medium esse uolunt: & est dupliciter medium, & in quo mouetur, & quod motum à forma mouet ipsum elementum, uelut lapis in aëre sua forma aërem diuidit, hic ne uacuum detur lapidem inferius trahit: quare si in uacuo esset lapis, nec moueret, nec moueretur: hanc tamen uim formæ elemēti tribuit cœlum, ut primo Meteororū apparet. Clarum etiā est illud in aqua maris, quæ astrorum cursum sequi uidetur, & ignis in sua sphaera circumagitur: omnia etiam hac uirtute contineri est existimandum, ut etiā Auerroës fatetur in disputationibus: dist. 3. dub. 18.

atque



atque hæc uirtus non materialis est, sed à Deo benedicto in intelligentias, & cœlum, deinde in hæc mortalia diffusa est: itaque uerè dicimus, elementa ipsa à mundi anima agi, tendunt enim omnia ad ordinis uniuerſi conſeruationem per ſe, quâquam per conſequentiã uel impediuntur, uel ſecus agant. Verùm poſt hæc in quibus primò appareat hæc uirtus clarior, uiuentia ſunt, quæ ſolum nutriuntur, in eis uerò, cum artiſicioſè ac eodem modo ſemper natura procedere uideatur, non caſu, ſed ratione quadam ipſa gubernari neceſſè eſt: nam non uidemus quòd ex lapidum proiectione domus erigatur: ſed & ſi ſemel hoc accidat, nemo tam duræ ceruicis eſt, qui hoc ſemper accidere fateri uelit. Triũ igitur unum concedere neceſſè eſt, uel quòd uirtus hæc in ipſo uiuente latitet, alioqui excellentior, ſed non niſi ad hanc perfectionem poſſit educi uel materiæ obumbrantis: uel quòd extrinſecus hoc principium ſit, uel quòd ſola conſuetudo, ſeu iam facta ab initio impreſſio hoc agat: nam & quidam ſcripſerunt, columbos in inſulis nouis repertos, deſertis tamen, homines nò timere: quòd ſi uerũ eſt, apparet nò ob aliud noſtros fugere, niſi quòd à parentibus ueſtigium traxerint, quo illi homines formidare ſoliti erant, neque id rationi admodum repugnat. Sed quocunq; modo ſtatuatur, indignum eſt, eam uirtutem, quæ longè excellentior ſapientia humana uidetur, in uermis, aut plantæ corpore collocare: neque enim ullus homo tam ſapiens eſt, qui uermem abſolutum undequaue effingere ſciret.

T. cap. 18. Quamobrem Ariſtoteles duodecimo primæ philoſophiæ

Iosophiæ, & secundo Physicæ auscultationis, & secundo de Generatione animalium, cœlesti impressioni merito illas tribuit: neque enim quicquā est in istis inferioribus, quod si ab omni intellectu, ac illius operatione, auxilio ue sedudatur, quod talia efficere possit. Hanc uirtutem passim disseminatā esse ait, quæ cum corporibus natura mixtis temperatè iuncta anima uocatur, unde ille omnia animarum plena dixit, *περὶ θεωρητικῶν κτ.* his uerbis:

*Ἐν ᾧ τὸτῶ μαντὶ θερμοῦντα φυσικὴν ὡς τρέψων πᾶν πάντα φύσιν εἶναι πλήρη.*

*Quod est: In hoc autem omni calor animalis, ut quodammodo omnia animæ plena sint.*

Ergo & in generatione, & in sensu principium cognitionis extra esse uidetur, sed non eodem modo, nam semen generat nihil prorsus cognoscens, animalia sentiunt, atque cognoscūt. Non igitur ex consuetudinē tantum ad hoc mouentur, quæ tamen agunt, cum non cognoscant se agere, sed impetu ferantur, à ratione quadam dirigi necesse est, nec tamen illam eis inesse: ut enim puer, qui ichnographiam pingit, ex architecti ichnographia similitudinem ducens, rectè quidem, ac quasi melius exemplum exemplo refert, cognitione carens, quàm ille exemplo rem: sic in artifice artem, ac scientiam, in puero uestigium rectè operandi sine ratione esse dicemus. Animalia igitur hæc cū nidum in orbem, aut speciem multiplicem faciant, cum paleas & puluerem aqua madefaciant, nō lutum, quoniam per se hæreat, proculdubio à sapientissimo agente gubernantur

bernantur, cuius origine cōtractum est uestigium  
 rectè operandi: neque uerò in illis rationem esse pu-  
 tes, cum uiliora ex ipsis artes tamen calleant pul-  
 cherrimas, uelut apes, ac bombices, quinimo si pi-  
 cam, aut pſitacum loqui edoceas, nihil tamen eorū  
 quæ agit unquam uerbis ad hoc etiam edoctis ap-  
 plicare sciet. Est igitur in omnibus uis quædā cœ-  
 lectis, per quam ad operationes sibi utiles, ac neces-  
 sarias diriguntur: uerū quia extrinsecus est prin-  
 cipium, ideo ipsa quæ ratione carent, quid agant  
 nō intelligūt, finem tamen ipsum desiderio proſe-  
 quuntur: nam ereptis filijs, uel diruto nido ciulant,  
 ac conquerūtur. Quid ergo est? Aliud longè prin-  
 cipium talium operationum, aliud cognitio ipsa,  
 nam hæc sensu beneficio perficiunt: quare anima  
 illorū & ipsa huiusmodi impressiois capax est,  
 sed tamen nullum illorū ratione uel mente par-  
 ticipat, nullum mouet se, sed ab obiecto mouetur.  
 Si igitur pars animæ mūdi, si qua talis est substan-  
 tiā hominibus ac belluis communis esset, quanquā  
 in cæteris cognitione belluæ carerent, nihilominus  
 quid agerent, intelligerent: adde quod (ut dixi) ani-  
 ma hæc tam nobilis abdita lateret utilissimis rebus.

T. cap. 82. Cur igitur philosophus primo de Anima, animā  
 dignissimam appellauit: quia illa tanquam intrin-  
 secus existens, principium moueret, & agnosceret.  
 Sed cur non spōte mouet, sed ab obiecto titillatio-  
 nem sentiens? Quoniam ex se nō est perfecta: quic-  
 quid enim actu & actione participat magis, apud  
 Philosophū diuinis etiā magis assimilatur: quod  
 uerò patitur, & in potētia est, imperfectissimæ ma-  
 teriæ

feriæ. Porrò tamen materia æterna est, sed ob id æterna est: quia potentiam æternam esse necessariū erat, ut actus etiam æternus foret. At ab ipsa potentia, materia in nullo differt. quid est hoc igitur, materiam esse æternam? Potentiam rerum generabilium semper esse: hæc si tolleretur, etiam generatio ipsa periret. Porrò ut ad rem ipsam reuertar, subiunxit Aristoteles, diuinorem etiam anima esse intellectum; sed iam illud ostēderat superius, longè melius esse intellectui ut à materia ipsa separaretur: at animā necesse est corpori iunctam: quoniam pacto igitur hæc esse simul possunt, considerandum erit: nam sic unū esse intellectus, & anima nequeūt: nec uerò posterius accedere quisquam illum nobis iam adultis dicat. quemadmodum enim & in alijs sensum ad intelligendum procedimus, nec ulla est dies, in qua primò dixisse liceat, hodie cœpi intellectu uti: quare cum sensum prorepat, ab initio illum nobis inditum esse necesse est. At mortalis anima, immortalis intellectus: necessariū igitur est, ut quemadmodum Auerroës inquit secundo Collectaneo rum, anima nutritiua loco materiæ sit sensitiuæ, illa quoque menti denuò: at uerò istæ permutato ordine eis formæ erunt, modum tamen coniunctionis singularem habere necesse est, cum & ipse homo in sua compositione talis sit, hoc est, quod dixit Aristoteles, animas imperfectiores inesse perfectioribus, tanquam trigonum in tetragono, nō tamen eodem modo sensitiua in potentia est ad intellectiuam, uelut nutritiua ad sensitiuam, si per animam intellectiuam intellectus intelligatur: nam non ille, sed

Cap. 3.



fed intellectiua anima, id est fenfibilis iam intellectu illustrata, in potentia est in ipfa fenfitiua, antequam intellectus adueniat: nam nifi talis potentia effer, nō poffet unquam euadere intellectiua: nam fi intellectus humanus animæ equi aduenire poffet, non tam efficeretur equi anima intellectiua, quia non talis potentia natura prius erat: nam de tempore, an una alteram præcedat, incertum est. Igitur ut translucida corpora, uelut cristallus, & uitrum, radios Solis intra fe poffunt recipere, ac sola ipfa etiã iridis formam in adiacentia emittere, fic fiet de humana anima cum intellectu: quare animæ huius ad intellectum unio, affumptio quædam est, & ipsius ad illam quædam illustratio: nimis uerò absurdū fuerit, tantam uim elementorum mixtioni foli tribuere, cum uix immortalī parte addita, quantam homo habet tueri ualeamus, præfertim cum nullius horum, quæ homini infunt tam multiplicia, uestigium in ulla bellua, uel uolucres, aut alia mortali re deprehendamus. Ergo intellectus noster, quod anima mundi non fit, quodq; nec accidens diuinæ substantiæ, quod non ex uī elementorum, quod non in potentia animæ intellectiue iam præ fuerit, quodq; anima non eadem fit qua parte intelligit, ac fenfit, iam abūde declaratum est: cum quomodo animæ nostræ uniatur, atque quod multas facultates habeat fibi quidem proprias, animæ autem partibus communicatas, etiam apertè ostendimus, ut non in frum fit, philosophum nec simpliciter plures appellasse animas, nec facultates uires eas, quæ in anima hominis effer, sed femper animæ

mæ partes, Huius autem cõmunis uirtutis, quam Deus in mūdum influit, nullum familiarius exemplum sumere me posse credo, quàm ex Herculeo lapide, ex hoc enim in ferrum, quod illo oblitum sit, ac etiam ei superpositū, uirtus profuit, qua ferrum ipsum ad septētriones dirigit: igitur quid mirum est, eam ex Deo in uniuersum eadem ratione posse emanare: nulla tamen subiecta alia substātia, quæ uirtutem eam deferat. Sed tamen ex hoc oritur dubitatio, cur nam lapis dirigit ferrum: nam si ea uirtus in ferro est, & tamē agit, esse potest etiā, ut animus noster sit uirtus sola sine substātia, & tamen intelligat. Respondemus causam esse cur nihil seipsum moueat, quod idē actu erit, ut mouet, & potentia ut mouetur. Quamobrem aliud mouere nihil prohibet formas substātijs proprias, uerū seipsas per se est impossibile, igitur intellectus æterni mouēt, sed immoti sunt: at corpora mouentur, & nō mouent: intellectus igitur noster seipsum mouet consequentia obiecti: nam obiectum illuminat, ab ipso intellectus mouetur, atque sic intelligit: Hercules autem lapis impressionem in ferrum facit, à qua ferrum mouetur, non à lapide, sed à cœlo, uel parte cœli terminata, ita quod hic lapis ferrū præparat ad motum, sed non mouet: nunc non loquor de motu, quo illud attrahit, & hæc est una ex rebus, quam si quis quæsiuisset ab Alexandro Aphrodiseo, uel Galeno, respondiissent, esse planè impossibilem, & super hoc suas, quas uocant, demonstrationes attulissent, & non paucas. Experimentum autem docet ita esse, cum multa alia in eo lapide mirabilia

primo de Ani  
ma. Cap. 3.

rabiliora etiam lateant, quæ omnia simul cum motu, quo ferrum impellit ad septentriones, illos philosophos lauerunt, & nunc etiam pauci, uixque nulli omnes illius uires agnoscunt. Sed ad reliqua transferamus: Forsan aliquis posset (ut Platonici existimant) credere, intellectus nostros particulas esse animæ mundi, sic tamen ut illa non ubique diffusa sit, nec substantia sua mortalibus communis, hoc enim demonstrauius esse non posse: sed nec sic, nam deciduæ illæ partes aut comminuēt animam illam, fietque quanta, ac etiam cōminuta simul: utriusque autē inconueniens: si enim intellectus esset cum quantitate, unius eiusdemque rei essent infinitæ intellectiōnes, ut rectè inquit Aristoteles: multò autem turpius, atque absurdius est, illum comminutum facere, cum præter quantitatem superaddamus, quod etiam in belluis, & lapidibus damnamus: at si nō comminuitur, quod defluit si tantum uirtus est, non substantia, in eosdem incidimus laqueos, omni enim rationi repugnat, accidens esse quod intelligat, & nos ipsos esse id accidens: quilibet enim, uel quantumcunque stupidus, agnoscit semet quandam esse substantiam, non accidens, sed qualis sit ignorat: causam huius inferius assignabimus. Sed neque anima hoc lumine illustrata sic potest intelligere: nam quæ actu intelligit, cum semet agnoscat, lumen illud erit, uel non erit: si quidem lumen, in idem reuertimur: si non est ex re materiali, & diuisibili, res immaterialis, & indiuisibilis efficietur. Ostensum est autem, quando non necessarium sit, tunc animam eandem esse cum lumine  
idem

idem belluis accidere, nec tamen intelligere: reuertimur etiam ad eam difficultatem, quo nam pacto abstrahimus, quādo uolumus, si anima tantum illuminatur, & non est ipsum lumen: at si substantia quaedam deciditur, nec comminuitur, quasi iuxta Auicennæ sententiam manifestum est, quod creationem, & nouitatem, & infinitatem admittere cogimur, quæ omnia non solum philosophis, sed magna ex parte etiam legibus repugnant, cum substantiarum creatorem Deum solum, & merito statuunt: neque tamē ob hoc, quin omnes ex una pendeāt, credere prohibemur, at magis cogimur: nam & quæcunque plura numero sunt, atque ea mortalia, aut ab uno omnia originem ducunt, uel inuicem ordine quodam disposita referuntur. Igitur hæc de animorum substantia dicta sunt, nunc de affectibus illorum dicere iam tempus est: sunt enim etenim affectus plurimi, Iracundia, Dolor, Amor: sed qui pertinaciter hæreant illi, eumque transmutent tres, Cupiditas, Spes, ac Fides: quæ enim desideramus, partim sub manibus nostris sunt, eaque cupiditate prosequimur: nam amor insperatæ rei, amentia potius pars est, quàm ullius animi affectus, quæ aut sub manibus nostris nō sunt: si præsentia, uel præterita fuerint, fidei subiacent: quæ futura sunt, spei: in omnibus autem incertum est, ac minimè firmum quod subiicitur, præterquam in cupiditate. Cupiditatis igitur fortissima esset uis, si paria essent quæ affectibus subiiciuntur: uerum fidei, ac spei plerumque nobilissima ac præcipua præmia sunt, ob id homines maximè his tribus

ducuntur



ducuntur affectibus : horum fortior spes, fides autem firmior: cum uero in unum (ut plerunque accidit) iunguntur, animum ipsum sic in se transferunt, ut totus in illis esse uideatur : uacuas autem mentes spes, & fides, totas occupant : & ob id maior in stupidis idiotis, ac plebe, quam in eruditis, nobilibus, ac ingeniosis : cum uero uelut habitus quidam confirmatæ paululum hæ opiniones fuerint, adeo in immensum euadunt, ut primo hominem ipsum totum arripiat, inde etiam alios secum trahant, tum demum in hominum corpora, atque in res ipsas etiam inanimatas, tum in corpora animalium prodigiosos effectus pariunt. In hominum quidem corpora quomodo agant, non difficile est intelligere, immutatis prius illorum animis: concessum est enim, animam forti fide, ac spe, tanquam proprijs quibusdam instrumentis corpus immutare: nam in uehementi terribilium imaginatione multi mortui sunt, alij ex toto permutati, uelut Laurentius Sannutus patritius Venetus, qui captus à Gallis cum classe, inuolutusq; uelis cum alijs pluribus ut mergeretur, dum diuturna mortis expectatione torquetur, horarum quatuor spatio canus euasit, inde periculo solutus, ab adolescentia talis semper permanit. Alij ob uehemens gaudium à morbis liberati, alij autem ob tristitiam insani facti sunt. Porro ad fortem imaginationem dilecti scorti in uenerem incitamus, plurimis etiam, si firma manserit, semen sponte effluit. Mouent spiritus fortes affectus animam illi parere diu assuetos, unde ex parte in partem trahuntur

trahuntur spiritus, humor, ac sanguis concomitatur. Verum de Fide, quod necessaria sit huic negotio, in alijs quid mirum est, cum apud Lucam in Euāgelio legatur, Christum pauca signa in patria sua edidisse ob illorum incredulitatem: ob id igitur, si mente mens immutatur, imaginatio imaginatio: nam hæc uirtus (ut docuimus) intellectui maximè inferuit, nil mirum est, ex eodem principio corpus illud immutari. At in belluis cum animus noster diuina natura sit præditus, inferiores animas mouet, atque ideo in equos maximè operatur, quoniam sensibilis illorum anima plurimum excellit, & corpori etiam dominatur: non sic in capras, aut oues: inde præcantationum ratio, quanquam plurimis illarum doli, uel medicamenta immisceantur. Ergo ut ad initium reuertar, hinc summa patientia ad tormenta, summa constantia ad pericula exoritur, quod animus his affectibus immutatus, à corpore totus separatur, & abscedat, aliusq; fiat. Sunt porro & in belluis hæc affectuum differentiæ, sed minimè adeo euidentes, cum in caduco, & subiecto mortali sitæ sint: nam canibus erga dominos fides, ac spes, uerum non affectus ipsi, sed potius illius effectus, amant enim eximie, & nil amplius cogitant, quoniam hoc ei natura negatum est: at inanimata, & arbores difficilius fide moueri possunt. Attamen si in nobili anima fides, ac spes fortis extiterit, etiã illa immutare potest: unde apud Romanos lex erat, Fruges ne excantato: sed de his tertio de Varietate rerum libro diximus: nunc solum id attigimus

Cap. 4. 6. 7.  
& 9.

o ; gimus

gimus, ut intelligant omnes, hominem fide, ac spe ingenti munitum, corpus quasi seponere, & diuinum, aut demoniacum effici: at de his seorsum etiā dicemus: inde ueneficarum malefica origo ortum habuit. Neque uerò mortuos resurrecturos, aut montes transferendos hac fide, & spe credas, hoc enim leges naturæ transgreditur: sed ea efficit hæc animi uis, quæ magna arte etiā, ac plurimis auxilijs indigent, effici tamen possunt. Verum Cupiditas mentes, ut creditur, prudentiorum agit: nam diuitias primùm, post honores, ac magistratus, & uoluptates adeò ingenti desiderio tractant, & amplectuntur, ut miseriam humanā hoc errore subterfugiant, nanquē ad mortis usque ianuās tuto accedunt, uelut qui per montium periculosos calles iter habent, securius progrediuntur, si faciem ad montis summū cacumen uertant, quàm si ad profundam, & confragrosam conuallem. Ergo de affectibus animæ principalibus hæc dixisse sufficiat: nunc uerò de totius hominis communi opere, seu affectu (nam quod nam illorum Somnus dici debeat, Galenus in libro de Odoratus instrumento satis dubitat) iam dicendum arbitror.

Est igitur Somnus, ut Aristoteles inquit, affectio quædam sensoriæ partis, qua communis sensus immobilis redditur, ac uincitur, quam diuaporatio committit alimenti: etenim in animi defectu, & syncopa, & morbo comitiali, magisq; in attonito, sensus ipsi uinciuntur, sed non ab alimento, uerum à morbosis causis. Rursus, cum omnes sensus simul concidant in somno, & tamen maneat  
imagina

Imaginatio, & memoria, necesse est, ut non singuli  
 uinciatur, sed omnes propter unius uinculum red-  
 dantur immobiles: at illud uinculum anima non  
 est, neque enim imaginatio, & memoria nobis in  
 somno relinquereantur: igitur uinculum hoc est  
 communis sensorij. At uero Sensus, ut ille inquit,  
 est motio animæ facta interuentu corporis: nam  
 ad idem pertinere actum, ac potentiam, satis cla-  
 rum est. Sensus autem communis nil aliud est,  
 quam uis sensibilis in anima existens, quæ à sen-  
 sibus exterioribus mouetur: in hanc autem, uelut  
 in centrum, concurrunt ex circumferentia lineæ, sic  
 ex quinque sensibus formæ omnes: cum uero in-  
 diuisibilis sit hic sensus: plura tamen comprehendere  
 potest, non quidem una actione, sed si debet inter  
 sensibilia iudicare iam illum oportet seruari præ-  
 cedentium sensibilium formis componere inter il-  
 las tanquam præsentem, diuidereq;. Sic & intelle-  
 ctus per hunc modum facit, sed tamen indiuisibi-  
 lis est, cum illas comprehendit, aliter nulla comple-  
 xorum sciëntia, uel cognitio, nihilominus ut unum  
 quæ plura sunt in illo sunt. Quare autem sensui  
 communi nullum instrumentum, cum imagina-  
 tioni pars cerebri concaua anterior, memoriæ po-  
 strema, rationi media inferuiat: hoc ideo est, quia  
 ultima perfectio cuiusque in anima est: anima au-  
 tem organo (ut docuimus) per se non indiget, ima-  
 ginatio enim, & ratio non in anima, sed ab anima  
 fiunt, quare organo indigent, & parte cerebri sin-  
 gulari: sensuum enim ultima perfectio est anima,



ac sentire : imaginationis uero, & memoriae ac rationis, quæ in homine est intellectus, ac intelligere. Verum hæ uirtutes etiam in belluis sunt, sed (ut docuimus) ab anima in illis proficiuntur, in homine ab intellectu, ob idq; nomine solo, non re ipsa conueniunt: sed uelut ab igne, & à Sole lux prodit, ac lumen, nomine, & etiam quadam imagine rei similia, altero mortali, ac elementari, altero diuino ac immortalis: sic etiam de his uirtutibus dicendum erit. Porro quod belluis imaginari contingat per somnum, manifestum est, cum canes adlatrent. Duo igitur motus sunt in anima, Ab anima, & Ad animam: in somno, qui ad animam est, motus spirituum impeditur, non qui ab anima: necesse enim erat illum motum seruari, ob multas necessarias causas, & ob pericula non leuia spirituum, etiam qui naturali inserviunt facultati, nec sensibiles sunt: eandem ob causam motus reciprocos relictus est, ob id media parte somni exteriora calidiora redduntur. In initio igitur somni animæ sensibili inserviunt spiritus ad cor ipsum contrahuntur, motus uero ab anima non cessant, nisi grauior etiam ingrât somnus: unde fit, ut bene potius raro somnia uideant, & similiter in prima somni parte: at cum crapula defuerit, tunc primò ab anima spiritus mouentur, & imagines uident, inde cum multiplicati fuerint in extremis partibus, ac exuberâtes, motum contrariū ad animam faciunt, & tunc euigilantur. Ob id debiles, & humidi, & in hyeme longiores habent somnos, quoniã tardius exteriora

exteriora replentur spiritibus, hiç etiam sunt pa-  
 ciores. Aristoteles igitur duo uidetur prætermi-  
 sisse: Primum, quia nõ dixit, quomodo sensus com-  
 munis alligetur, anima non alligata: Secundum,  
 quia causam ipsius somni in humiditatem, ac frigi-  
 ditatem, tum maxime ab alimento refert. Hoc au-  
 tem non sic se habet, nam somnus fit ob quietem  
 spiritus à motu ad exteriora: hic autem uel ab  
 anima, uel à cibo, uel à corpore accidit: ab anima,  
 cum aliquid iocūdum imaginamur, nam spiritus  
 intenti quiescunt, somnusç illico superuenit. For-  
 tior est hæc causa, etiam ipso papauere: nam cum  
 Principium quiescit, spiritus & ipsi quiescunt: non  
 igitur ab humido, & frigido tantum fiet. Erunt  
 autem talium imagines luci, prata florida, colles,  
 flumina, herbidi campi, aura suavis: atq; ideo etiã  
 horum imagines pictæ somnum conciliant. Op-  
 posita ratione, uehementes animi motus, ut ira,  
 dolor, timor, curæ, illum impediunt, uelut & spes.  
 Altera uerò à corpore sumitur resolutio spiritus:  
 quamobrem post fortes labores, post tristitiam  
 longam, post diurnam uigiliam, post opij po-  
 tum, somnus non leuis irrepit, quoniam spiritus  
 deest, qui ad animam feratur: ex his solus, qui ex  
 tristitia fit, perturbatus plerunq; est, & plenus ima-  
 ginibus, nam anima mouere non desinit, paucitas  
 spirituum prohibet, ne redeant. Pugnantis igitur  
 causis, ut primum magna ex parte restaurari  
 cœperint, soluitur somnus. Tertia uerò causa ex  
 humido, & alimento proficiscitur: hanc solã attulit  
 Aristoteles, nam laborem ad colliquationem re-  
 fert,

fert, atq; si hic esset potius ante lassitudinem in laboris initio, quam iam exsiccatō per laborem corpore somnus oboriretur. His igitur causis cōiunctibus in unum placidissimi, profundissimi, ac longissimi fiunt somni: disidētibus perturbati, leues, atq; breues. In causa etiam, quōd humiditas, & frigiditas somnum pariant, non satis conuenimus cū expositoribus: nam quōd uapor ille obstruat, sicut nubes prohibens radios solis, sic ille trāsitum spirituum, est omnino falsum: esset enim aliquādo somnus in aliqua parte corporis, & uigilia in alia: nos autem uidemus, quōd semper simul, & sine sensu aliquo ingruit, ac repente: ex quo patet, quōd necesse sit, ut motus, seu causa illius sit ab uno principio, ipsoq; indiuisibili, scilicet anima. Quōd uerō maximē superueniat hora concoctionis cibi, hoc uerū est, quia anima utitur spiritu sensibili ad concoctionem, quare prohibet motum illius ad extra, & hæc prohibitio est somnus: & ideo contemplari, dum quis cibum concoquit, cruditates affert, quia prohibet, ne quid spiritus sensibilis concoctioni auxilietur. Et si dicas, qd hæc obstructio fit in uia cordis, uel cerebri, & ideo potest simul esse communis toti corpori: tunc sequeretur, quōd quilibet in somno incurreret magnum periculum obstructo loco principali, cū tamen nemo dormiens moriatur, imō si maxima causa superueniat, ut casus dormus, uel uulnus cordis, uel morbus, attonitus expergiscitur antequam moriatur. Eset etiam hæc prohibitio necessario causa deterioris concoctionis, saltem in aliquo mēbro, cū tamē nunquam melius

melius concoquamus, quàm in somno. Humor igitur, & frigiditas somnum cōciliant, si spiritum non extinguant, quia motum illum spirituum sedant, & mulcent animam, ut spiritus tranquilliores efficiantur: oppleto enim uaporibus cerebro, spiritus illi conuiescunt, sicut quædam ueluti tranquillitas (quam Græci melius exprimunt per hoc nomen *ἡσυχία*) in ipso principio, inde omnes alij spiritus à motibus suis supersedunt: nec enim omnes ad principium redeunt, ut iam aliàs declarauimus. Hac igitur etiam ex causa soni leues, ut aquæ murmur, & fabularum narratio, somnum prouocant sedato impetu spiritus animati. Ergò in corpore animalis motus omnes ab indiuisibili anima proficiscuntur, sedato uerò illi propiore spiritu una omnes, aut incitato, tanquàm ad uexillum respicientes milites sedantur, uel incitantur: quò fit, ut in grauibus illius affectibus nulla pars corporis, uelut in ira, timore, uerecundia, dolore, amore, conuiescat, & eius symptomatis, quod ex illo affectu exoriri solet, immunis sit. Infomnia uerò existimat esse sensoriæ partis, quantenus imaginaria est. Conatur autem horum rationem reddere per specierum in sensibus conseruationem: unde quæ uiderimus in uigilia, per somnum etiam nos uidere existimamus. At uerò hoc difficillimū est, & ab omni experientia remotum: namq; conseruari in sensu, puta oculi lucem, momento temporis, uerum est, & ita de tonitru in aure: quòd autem per plures horas, nimis hoc est à fide remotum. Impedirètur etiam omnes illius sensus operationes, quæ inter

siuuuim

ueram



ueram sensationem, & imaginem somnij caderent. Sensus etiam tactus non uidetur esse absq̄ præsentia rei quæ tangitur. Homines etiam non quæ pridie uiderint, sed illos quos amant, uel oderint uehementer, uel à quibus plurimū uexantur, frequentius per somnium uidere se existimant. Præterea si conseruata imago in sensu hoc agit, ut uideamus imaginē per somnium, cur homines, & alia uideamus, quorum uix memoriā retinemus? homines etiam semper somniarent, & tum maximè in prima somni parte, cuius oppositum è directo contingit. Galenus autem uidetur uelle, imaginem hanc potius in spiritu seruari: nam & cæci, qui non tales sunt, à natiuitate uidere se somniant, cum tamen tunc facultate uidendi sint omnino priuati: igitur neq̄ sensus exteriores, nec communis, quicquam cum in somnio commune habent, cum & hic obiectum præsens requirat. Si igitur in spiritu sunt, & in uigilia latent imagines ob fortem motum, quibus igitur interior sensus fortis est, nec spiritus multo humore obrutus, sensibilisq̄ impressio uehemens, his multa, & clara apparebunt infomnia, tales melancholicos, & atrabile laborantes esse uerisimile est: sensum, nunc imaginationem dico. Qui igitur imaginationem debilem habent, ac impressiones leues recipiunt, hi tum præcipuè si humidioris cerebri extiterint, pauca leuia, & incerta uidebunt infomnia, ut ebrij, ac pueri. Verum cur iam tot annis imagines uisas somnus reuocet, si in spiritibus fixæ sint, difficile est intelligere. Denuo igitur ad Aristotelē reuertor: is particula trigesima Problematum

Proble. 13.

infomnia

insomnia ad mentem refert. Hoc autem optimè dictum est: illud uerò ambiguum, quòd qui suauissimè dormiunt, ob id non uideant insomnia, quòd in illis maxime concitus sit motus animæ ac spirituum ob caloris motum: neq; enim hoc uerum ex toto esse uidetur: sed (ut iam diximus) ubi somnus profundissimus, ibi non solum spiritus à motu uersus cor quiescunt, hoc enim omni somno commune est: sed etiam à motu à corde, quem necessarium est adesse his, qui imagines per somnium uidere debent. Quamobrem etsi forsan paucula propter impressiones in spiritibus factas uideantur, maximam tamen illorum partem à mente, seu anima ipsa prodire necesse est: seruato enim leui motu spirituum comprehensas imagines ex anima in imaginationem referunt: ab humoribus etiam excitantur, cum halitus formam aliquam indiscretam pro discreta & perfecta retulerint, uelut in nubibus uidemus, in quibus oculus serpentes, & equos fingit, cum imaginatione adiuuatur, quanquam in eis nihil horum distinctum appareat. In instrumento igitur imaginationis, ut in tranquillitate maris spiritus leuiter mouentur, sunt enim ex aëria, igneaq; substantia, uel etiam liqua melior est, unde animæ repræsentant rerum imagines. Sed cur uidere nos per somnum, non imaginari arbitramur, sic & audire? nam quod imaginamur non adeo clarè nos uidere putamus, uelut quod per somnium apparet. Ratio autè huius satis est manifesta, nam in somno imaginationis functio spiritibus iam sensibus delegatis perficitur, in eo etiam anima magis

gis libera est, quò fit, ut perfectè operari se credat, atq; id indicium est, animam per se omnium sensuum perfectionem continere. Sed cur magis nos uidere, quàm audire, minimè uerò tangere arbitramur: Hoc ideo est, quò loco instrumenti imaginationis propinquissimi sint oculi, tactus uerò remotissimus, ob id plures spiritus ad imaginationis locum ex oculis reuocantur, quàm ex illo alio sensu: plus etiam anima in uidendo oblectatur, quàm in audiendo, uel odorando, tangendo ue.

Illud uerò sciendum est, spiritus sensibus delegatos impressionem ex suis instrumentis recipere, qua ad munia illius sensus obeunda potius, quàm alterius sint promptiores: ob id etiam spiritus uisioni apti decidunt his seruatis, qui ad audiendum sunt opportuni. De somni uerò sine illud quærendum est, quoniam uita est propter operationem in animali, somnus autem propter uitam: nam in uigilia, ut secundo Cœli habetur, animam ob corporis resistentiam fatigari necesse est: somnus autem est quidam retrocessus, nam belluis homines, plantis belluæ, inanimatis plantæ per somnum efficiuntur similes, ut hyeme apparet. Sed iam non paruæ exoriuntur difficultates, an formæ rerum in spiritibus, an in membrorum substantia, an in anima ipsa referuentur: similiter & de anima, an in uno, uel pluribus spiritibus sit: tum uerò, quid cogat, ut hoc magis, quàm aliud per somnium uideamus: Deinde quomodo si imagines in anima sunt, cur contingat obliuisci, uel decipi: tum etiam quomodo memoria antiquas res reuocemus, præsentium.

Cap. 3.

fentium penè obliuiscamur? cur etiã, & quando, &  
 quomodo, undeq; & an uera infomnia sint? Ergo  
 ad harum primam dicimus, formas rerum in uia  
 Aristotelis in anima conseruari: nam illis reponi il  
 las consentaneum est, ubi locus ultimus est earum,  
 ac summa perfectio, & ad quem locum tandem  
 perueniunt. Anima autem talis proculdubio est,  
 erit & Intellectus patiens aliquo modo uniuersa-  
 lium subiectum. Sed duo uidentur obstare: pri-  
 mum, quòd cerebri posteriore parte affecta memo-  
 ria patitur, ut inquit Galenus tertio de Locis affe-  
 ctis, igitur formæ illæ in anima non esse uidentur: Cap. 3. & 4.  
 item quomodo obliuio accidit, & deceptio in in-  
 tellectu. Respondemus, quòd (ut Theophrastus  
 inquit) ex permistione deceptio oritur, obliuio ue-  
 rò quia organo indiget ad hoc ut possit repræsen-  
 tare, patiens enim intellectus corruptibilis est, &  
 est lumen illud in anima ab agente profectum, seu  
 lucis similitudo, quia quædam perire, quædam ser-  
 uari necesse est. At uerò cur accidit, quòd memo-  
 ria per medicamenta reuocata multorum remin-  
 scimur, quæ ante illius amissionem cognouera-  
 mus: nam si ob id illorum obliti sumus, quòd sub-  
 iectum corpus corruptum sit, necesse est post repa-  
 rationem illius ea quæ exciderant, nisi denuo di-  
 scantur, ex toto euanuisse. Quòd si dicat, seruari  
 quidem hæc in parte illæsa, uerum ad actum exire  
 propter impedimentum: quid igitur obstat, ne  
 idem de anima dicatur? uerisimilius autem est in  
 anima hæc sita esse, ut diximus, quoniam actu nul-  
 la penè existant, potentia autem quasi infinita. Hoc  
 autem



autem in loco scientes differentiam memoriæ & reminiscentiæ, ob breuitatem præmittimus: satis hoc unum rei argumentum ducentes, quòd qui casu aliquo repente deciderint, ut quasi mortui iaceant, reuiuifcentes quomodo ceciderint non recordantur, nondum enim in anima impressio eius facta fuerat: eorum uerò quæ iandiu didicerint, memoriam illico recipiunt, quoniam anima morbo non læditur. Sed cur scalpêtes cerebri posteriorem partē recordamur celerius? hoc in causa est, quòd (quemadmodum inquit Philosophus) memoria per consimilia reuocatur: ex illo autem motu multa, ac magna fit spirituum cōmotio, unde ex multis imaginibus aliqua per similes excitatur, cuius similitudine ad quæsitæ recordationem peruenimus: inde etiam contingit, ut nimis celeri spirituum motu transeat res ipsa, cum iam apprehendisse illam putauerimus. Ex quo dignoscitur, quoniam pacto in memoriam reuocemus: nam necesse est fisti spiritum coram anima, ex illa uerò cōceptam formam elucescere: igitur si transeat spiritus concitato motu, reminiscitur, simul ac obliuiscitur, quod frequētius in eadem re contingit ob multos spiritus: atq; ea de causa fit, ut qui celeriter discunt, celeriter obliuiscantur. Senes autem obliuiosi sunt, quoniam frigus tarditatem motus spiritibus ingerit: & hoc est quod optimè Galenus dixit, non siccitatem memorię senum obstare, sed frigiditatem. Melius igitur est dicere, animam esse, formam suscipientem penè infinitas similitudines rerum, sed non ad actum reducuntur, nisi cum lux illius ea ad

ad hoc conuersa quod in omnibus illius operibus commune est, ac sæpius dictum, in spiritibus refertur. Velocis igitur memoriæ, quorum spiritus celeres: tardæ, quorum lenti. Non igitur hoc ex animæ ratione, quâquam nil prohibeat, animam animæ esse meliorem: hoc autem tribus modis, uel quia anima ipsa ex temperatiore corpore prodeat, uel quia nobiliore intellectu illuminetur, hoc autem solum erit demonstrandum: uel quia melius illuminetur. Dicere autem, animam in spiritibus esse, omnino est impossibile: nam in pluribus plures habebit partes, & corrumpetur etiam secundum illas: in uno autem tantum, multo minus est uerisimile. Est igitur, uelut Sol in mundo, in una parte: radij uero illius per totum corpus extenduntur, ut solis radij per orbem. Anima autem plantarum ex toto est diuersi generis: nam substantia illius & ipsa in una parte est, & uirtus propter imperfectiorem per totam disseminata anima est potētia, quæ cum à toto diuellitur anima actu fit: insectilium autem anima non diuiditur, neque enim unquam duæ partes insectilis simul uiuunt, sed potentia animæ remanet in una parte, & in alia substantia, aliter pari ratione innumeras constituere oporteret in eodem insectili animas: non est autem anima, nisi possit in debitas operationes exire: nã & boum linguæ, & partes circa caput diu mouentur post bouem occisum, corq; illius immobile redactum. Verum inter animam, & solem, uel saltem inter intellectum & solem differentia est, quia sol habet esse cum quantitate, intellectus autem non: est igitur

p intel

intellectus indiuisibilis: indiuisibile autem duplex, uel ut punctus, uel ut intelligentia: quod autem ut punctus est, pars est, ac terminus corporis: tale autem omitto, quod corporeum dici debeat, nequam corpori posset imperare: est igitur intellectus indiuisibilis, uelut intelligentia: at uero qui talis est, etiam ut punctus est indiuisibilis, ad hunc sensum, quod caret quantitate, non autem quod sit terminus alicuius lineæ, sicut dicit Euclides de puncto: igitur existentia intellectus in corpore est, secundum modum magis indiuisibilem, quam puncti in linea: nec propter hoc inconuenit, quod sit magis in corde, quam in alia parte: nam & Deus (iuxta Philosophi sententiam, si illum secundum Auerroem interpretemur) est in extrema cœli parte ultimi, cum tamen Deum constet longè magis nostro intellectu esse à materia separatum. Ut autem hoc magis, quam illud, per somniū uideamus, duplex quidem responsio est: nam si credamus somnia tantum casu euenire, respondebimus, ut de memoria dictum est, quo nam pacto obliuiscamur præsentium, & recordemur iamdiu præteritorum, ob spirituum ad animam conuersionem, ea parte, qua imaginem similem continet. Sed dubitabit merito aliquis, quia in uigilia hoc causam manifestam habet, scilicet uoluntatem, quæ iam imaginem uniuersalem animæ subiicit, uelut uolo recordari carminum Vergilij illorum, in quibus loquitur de Didonis morte, iam subiicitur animæ, quæ ex Vergilio sumenda est hæc res, non ex alio poeta: secundo, quod mors Didonis tractatur in quarto libro  
Aeneidos:

Aeneidos : non ergo ex alijs quæcûda libris erunt: memini etiam, quod ante mortem cœpit conqueri de Fortuna sua: igitur his tribus imaginibus à uoluntate rationis medio ab anima spiritibus propositis illi mouentur, atq; adeo aliquando celeriter, ut etiam hæc ipsa generalia excidant. Porro spiritus in quibus relucet iam hæc tres imagines quiescunt, & si aliorum spirituum motu perturbentur, etiam hoc ipsum excidit uniuersale quod subiiciebatur: huius quietis causa forsitan etiam aqua illa uentriculis cerebri indita est, nam reticularem plexum ad se negat Vesalius in hominibus: & si adesset, potius nutritionis cerebri, quam memoriæ causa factus uideretur. Ex hoc quoq; manifestum est, cur uerum sit, quod dixit Philosophus, Anima sedendo, & quiescendo fit prudens. Verum in somno & si uoluntas nulla sit, est tamen animæ affectus quidam, atq; ob id non magis aliud, quam de quo per uigiliam impense sumus solliciti, in somno uidemus: alias autem rerum formas uapores suggerunt, seu à cibis, seu ab humoribus eleuentur: unde cepas, & caules, mala ac terribilia somnia parere passim creditum est, & qui illarum assiduo usu tenentur, in ueneficij opinionem ob frequentia in somnis spectra transeunt. Sed cur nam atra bilis, aut talia formas potius horribiles, quam iucundas excitet, in libro Floridarum disputationum declarauimus, quæstio enim hæc non tantum naturalis est, sed etiam ad medicum spectat de illa pertractare. At uerò qui somnia à superis immitti putant, etiam longè facilius quæstioni huic satisfaciunt.

nuuol

p 2

Quamo



Quamobrem huic & ultimæ propositæ questioni respondere non ab re esse puto. Igitur Auerroës illud primo existimat non solum aliqua, sed partem maiorem somniorum ueram esse, eaq; quæ uera sint, hoc signum relinquere, quod cum experrecti à somno fuerint, anima quasi timeret, & admiratur, cum id etiam in ipso somnio contigerit. Addunt reliqui somniorum interpretes quod sub diluculo uideatur, & iam discussa crapula, & ab homine cui euentus frequentes uisis simillimi succedere soleant. Cum igitur intelligentias solum uniuersalia cognoscere crederet, multis uerbis, quorum tamen sententia clarior paucis subiicietur, id tentat ostendere: est autem horum hic sensus, Generales formæ cum plures fuerint simul iunctæ impressione in anima singularis efficere possunt. Id exemplo satis claro est manifestum, nam tres superficies planæ omnes uel etiam regulares ubi se dispescant simul solum in puncto coeunt, ut ab Euclide in undecimo libro demonstratum est. Est autem superficies ad lineam, uelut uniuersale ad singulare, & linea ad punctum ut uniuersale etiam, siquidem in superficie infinitæ lineæ, in linea infinita puncta esse possunt. Similiter & in numeris proportionis consimilis tres infinito inuenire licet, licet & inuenire infinito, quorum secundus in se ductus tertium producat, atq; rursus infinito tres numeros, quorū producta ex primo in se, ac secundo in se simul iuncta producto tertij in se sint æqualia: tres autem numeros inuenire, quorum secundi ad primū eadem sit ratio, quæ tertij ad secundum, quorumq;  
secun

secundus in se ductus tertium producat, & rursus quod tertio in se ducto tantum fiat, quantum coniunctis productis primi, ac secundi cuiuslibet, scilicet in se, non nisi uno modo licet, atq; in his tantum tribus numeris unitate scilicet tum dimidio unitatis, latere quadrato illi unitatis, ac quartæ partis eius adiecto, ut sic maximus constituatur seu tertius, hic numerus, cuius quadratum latus, secundus seu medius numerus erit: manifestum est igitur quàm paucis uniuersalibus in unum iunctis, quorum singulum infinita sub se continet, in unum singulare perueniant: hæc autem infinita ferme esse, seu potius innumerabilia declarat: additur insuper cœli uarietas, quàm ex motu singulis refert momentis, nam sine cœlo nihil intelligentias in hæc inferiora influere putat. Manifestum est igitur, & quomodo sine motu, & quanto magis cum illo generales causæ futurorum in singulare ipsum tãquàm superficies tres illæ in indiuiduum punctum reducantur, atq; hoc modo futura per somnum præuidere licet iuxta Auerrois sententiam, cum simulachra illa per cœli motum tãquàm per causam uniuersalem ab intelligentijs in humanam animam immittuntur. Ego uero hæc causam ualde dubiam esse existimo: nam oportebit, ut uel uniuersalia imprimantur in anima, & hoc nemo uidet, aut si uidet, intelligere non potest: si autem singulare querendum est, à quo agente illæ formæ uniuersales in unum redactæ sunt: nam in rebus ipsis materia est illa, quæ ea in unum cogit, ita quod si illa sentiret, & intelligeret, & loqui posset, diceret, recepi

p 3 formam

formam huius pomi, quia in hoc loco, in hoc tempore, ab his causis talia, & talia passa sum. Anima igitur necessario prius uniuersalia ipsa sentiret. In somnijs etiam intelligimus nouas demonstrationes, ut nobis accidit quandoque, dum libros nouae Geometriae scriberemus. Abstracta autem caelo non subiiciuntur. Sed forsitan ad hoc dici posset, quod simulachra tantum imaginatiue representata sunt, intellectus autem ut etiam in uigilia ex opportunis formis demonstrationem collegit, sicut accidit etiam ex figura oculis proposita, quod si in ea nulla desit linea ad perfectionem demonstrationis, facilius inuestigamus quaesitum: unde multum solemus laborare in erigenda figura apta, antequam inueniamus demonstrationem. Sed dimittamus hoc, Cur est, si somnia à caelo & intelligentia immittuntur, quod per flumina cogamur iudices intelligere: quoniam libera sunt, nec cuiquam subiiciuntur: & per montes, saltus, ac ualles, tristitias, timores, ac perturbationes, quod uitae uitae assimilentur: anfractuosae, & asperae, ut circa praedicta esse solent, uitam infelicem, ac duram. Quomodo igitur, si caelum causas habet difficultatis, parit imaginem montis: aut si iudicium simi subiturus, flumen mihi ostendit: an ab eisdem causis iudices in mundum, & flumina prodeunt: & paupertas cum labore, & montes: si igitur solum ex operatione nostra haec sortiuntur similitudinem hanc, quoniam pacto simile pro simili caelum subiicit: nam si natura similia subiiceret, uerisimile hoc forsitan esset, sed haec casu potius subiiciuntur:

ſciuntur: nam eſſe difficilem nobis montem, ac-  
 cidit, quia crura æqualia habemus, ideo capræ,  
 & quæcunq; longiores poſteriores anterioribus  
 habent pedes, facilius per montes, quàm per plana  
 currunt: hoc igitur nobis contingit caſu, ſeu per al-  
 terius rei conſequentiam, non natura ipſa. Præte-  
 rea quid agunt cœli, cum nondum res ipſa ſit, nam  
 cuiusmodi prouidentia eſt de futuris: an igitur iam  
 cauſæ ipſæ ſunt, an non? Si non, quomodo imprimunt  
 in animam? ſi ſunt, uel in materiam imprimunt,  
 quia igitur effectus nondum eſt, aut non-  
 dum imprimunt; quia nondum exactæ ſunt in  
 materiam? cur igitur in animam, quæ eſt remo-  
 tius ſubiectum, celerius quàm in materiam ipſam  
 agere poſſunt? omitto quod præteritorum nulla  
 ratio poterit aſſignari, tum eorum, quæ ut erunt,  
 ad unguem uidetur, uelut de Calpurnia cum con-  
 fodi Cæſarem in gremio ſuo uidit nocte, quam il-  
 lius cædes ſecuta eſt. Sed non in gremio dices, at  
 in ſenatu confoſſus eſt. Illud reſpondeas quæſo,  
 quomam pacto cædes cæde oſtendi potuerit? &  
 quanquã, ſed tamè ægrè, hæc opinio, ut pleraq; ta-  
 lia, quæ falſis innituntur principijs, defendi poſ-  
 ſit, clariorem tamen, nec tam longè expetitam hu-  
 ius rei cauſam nunc ſubiiciam. Primum, in omni  
 re, quæ fortunæ ſubiicitur aut naturæ, homines  
 circa ingentia pericula, atq; ingentes ſpes ſolliciti  
 admodum eſſe conſueuerunt: illa quidem, ut ſi poſ-  
 ſint deuitent, hæc ut celerius, ac tutius conſequan-  
 tur. Ergo tunc minimis quibuſcunq; rebus men-  
 tem adhibere ſolent, atq; ideo multa quæ caſu con-  
 tingunt



tingunt, seu auguria, seu somnia tanquam illorum demonstratiua interpretantur, cum in cæteris temporibus innumera talia non animaduertentes, præterire soleant: hanc ob causam cum pestis sæuit ob multitudinem animos adhibentium ac morientium, & terroris magnitudinem, tum in cladibus magnis, aliquibus uera somnia, & auguria contingunt non secus diuinantibus, quam in frequenti talorum iactu: sed si modo aliquid in his diuinum inest, id etiam ab animi nostri diuinitate proficiscitur: ille enim diuino coniunctus (nec enim talia bobus, aut asinis infomnia futuri præfaga su perueniunt, quod non per somnum, ut homines, terreantur: aut si terreantur, fortuito, & sine euentu id contingere solet) ab eo illustratur, quod diuinum est, tum maxime, cum incipit à corpore separari: habet autem aliam quandam uim separatus ab ea, quam dum coniunctus est possidet: uerum de his in fine dicendum erit, dum problemata soluemus, quæ ex hac pendent quæstione: nunc illud satis sit adiecisse, memoriam in uacuas mentes rerum, ac uerborum melius ingredi ob hoc, quod spiritus non sint imaginibus alijs occupati, sed quieti, animaque ad hoc unum sit intenta, uelut nuper à somno excitatis. Verum aliud ex dictis emergit dubium, quomodo esse potest, ut anima in corde collocata, principalior illius operatio, scilicet memoria, ratio, sensusque in cerebro sit: Peripatetici negant hoc: sed cum cor pro uita calidissimum esse oportet, minime poterat spiritus animatos efficere, qui sensibili uirtuti inseruirent: ob id igitur creatum

tum cerebrū est, atq; in eo diuersæ partes. Quamobrem necessarium est dicere, spiritus qui imaginationi inseruiunt, memoriæ uel rationi aptos non esse, aliter læsa parte cerebri posteriore, non magis memoria cæteris partibus læderetur. Illud uerò argumento esse debet, quòd sensus omnes in corde fiant: quoniam inartificiofum est cerebrum, ac in homine magis, quàm in belluis, ut optimè Vesalius animaduertit, & quòd per somnum homo nec tam benè imaginatur, intelligit, memoratur, ut in uigilia, nullo autem modo sentit, quoniã non transferuntur è cerebro ad cor spiritus; hoc autem falsum est, neque enim iugulares uenæ constrictæ somnum prouocant, sed nerui reuertentes qui sub illis positi sunt, & quoniam corde male affecto omnes operationes sensibiles perturbantur, tum etiã, quòd aqua quæ in uentriculis est, magis apta ad spiritum temperandum, quàm ad operationes perficiendas uidetur. Qui uerò Galenum sequi uoluerit, dicat, Operationis principiū fieri quidem in cerebro, ob causam necessariam dictam à spiritibus, uerum ipsam animam in corde habitare, quæ sentit, memoratur, ac intelligit: nec distantia obstat: nam & apud Galenum sensus tactus in cerebro est, illius autem instrumentum ad pedes usque extenditur, qui à cerebro plus distant, quàm cerebrum à corde: igitur hoc modo, uel illo anima & intellectus se habent. Sed de anima quòd patitur, cum materialis existat, nemo dubitare debet: intellectum autem incorruptibilem existentē quomodo quis illum pati posse dicat? nanque ut doce-

p 5 bimus

bimus, agens ipse intellectus non eodem modo in hac uita, & post mortē se habet. Verūm & in æternis mutationes sunt, & quædam imperfectiones: nam Luna ipsa tenebras in ecclipsi patitur, & maculam in se non obscuram uisu continet: uidentur etiam in lacteo circulo partes cœli inæquales, quâquam optici ad multitudinē stellarum ibi existentium hoc referant: sunt etiam stellæ nebulosæ, & obscuræ, ut ea inæqualitas in partibus eiusdem cœli manifesta sit, Igitur æterna, si modo hæc æterna sunt, uarietatem suscipiunt, patiç possunt, uerūm non sic alterari, ut ad corruptionem uia sit hæc alteratio: talis ergo generis est, illuminari, uel non illuminari in corporibus: in incorporeis intelligere, ac non intelligere. Ex his manifestum etiam est, cur nulla planta actu calida sit, animalia autem, maxime sanguinea, calida sint: nam in plantis sensus nō est, ideoç non motus ullus, nec calor: omnis enim calor actu, qui ab internis procedit, a motu est, quoniam dissolueretur sic mixtum, animalia motum in se continent, ideoç calida sunt: & quæ calidiora, sensus acutioris, frigidiora, hæbetioris. Hunc autem calorem, hoc motus principium, cœlesti uirtute contineri necesse erat, quod anima dicitur sensibilis. At quæ ex his sanguine carent, cum a nobis tanguntur, propter paucitatem caloris, frigida iudicantur. Simile quoddam in plantis accidit omnibus, arboribus, fruticibus, herbis ut uiridia habeant folia, flores autem, & fructus, ac cortices nō sic: nam folia mediocri calore gignuntur, humida materia, ac terrea æqualiter mixtis. Sol insuper in ea agit. Quamobrem quod inter album & nigrum æqua-

liter est positum, uiride est; at rubeum maiori indiget calore: nam quæ uiridia sunt, ubi magis inaruerint, sanguinei coloris fiunt: foliorum autem substantia, ut dixi, aquea, ac terrea: tale autem cum foli exponitur, nigrū primò, inde uiride efficitur, quod in aquarum putrescentium exemplo patet, primò enim nigræ, ut Aristoteles inquit, post uirides euadunt in summa superficie. Virent autem semper folia, quoniam omne indeficiens humidum cum à perpetuo corrumpitur calore uiride seruat, nec sanguineæ uideri queunt, nisi uel terra perturbatæ, uel humido deficiente. Arborum autem flores plerūque albi: nam tenuissima substantia, & concocto iam succo prodeunt: ab aère igitur dealbantur, nisi proprium ex concoctione colorem susceperint. Fructus autem ante maturitatem uirides & ipsi existentes, indicant colorem concoctione acquiri, nec uerò corrūpi, aut degenerare tam facile in alienos colores possunt, quod eorū humidum copiosum sit, ac iam in arboris stolonibus truncòq; concoctum, horum utrūque folijs deest, concoctio uerò ab anima, uel animæ instrumento. Folia quasi superfluitates plantarū sunt. Corticibus autē terrea magis substantia ac densior inest, ob id ferruginei interius, exterius ob Solis & aëris uim quasi cinerei. Hęc igitur de anima: animatisq; dubitare sufficiat.

*Aristotelis de animorum immortalitate opinio.*

**A**ristoteles autem in his, ut in cæteris, multa adinuenit pulchra; at de animæ successu ad dubit



dubitasse plerique putant, cum nec mortalem, nec unam, nec infinitas admittere iuxta sua principia posset. Mihi uero haud dubium est, illum hac causa numerum finitum animorum statuisse in corpora redeuntium, iuxta poetæ sententiam dicentis,

*Rursus & incipiant in corpora uelle reuerti.*

Atque quod hoc necessarium sit existimare, argumento à diuisione sumpto, satis manifestum est. Quinetiam cum Pythagoram & Platonem hoc dixisse uideret, belluas hominibus committentes, illos tantum de belluis coarguit, fabulas ob id Pythagoricas dicens: animam enim eandem ceu fabrilem artem in his, quæ tractat aliam, atque aliam operationem pro belluarum natura subire impossibile existimat: inde ortus error non leuis, quasi transmigrationem fabulosam arguerit, non autem animarum humanarum ac belluinarum unitatem: inquit enim,

primo de Anima. Cap. 3.

Περὶ ἢ τῷ δεξαμένῳ σώματι, ὅτι ἐτι πρὸς διορίσει, ὡσπερ ἐνδεχόμενον κατὰ τὸς πυθαγορείως μύθους τὴν τυχεῖαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχεῖον ἐνδύεσθαι σῶμα. Δικαί γάρ ἐκαστον ἴδιον ἔχει εἶδος καὶ μορφὴν. παραπλήσιον δὲ λέγουσιν ὡσπερ εἰ τις φάει τὴν τεκτονικὴν εἰς αὐλὸς ἐνδύεσθαι. Δεῖ γάρ τὴν μὲν τέχνην χρῆσθαι τοῖς ἀργαίοις, τὴν ἢ ψυχὴν τῷ σώματι.

Quod est, De susceptio autem corpore nihil omnino de

no determinant, quemadmodum fieri possit iuxta Pythagoricas fabulas, ut qualibet anima in quodlibet corpus ingredi possit: uidetur enim proprium unum quodq; habere species, ac formam: simile enim dicunt, ueluti si quis in tibiis artem fabrilis ingredi dicat, oportet enim artem instrumentis uti, animam uerò corpore.

Haud dubium opinor, hanc illum transmutationem non reprehendere, uerùm corporum dissimilitudinem; atq; ideo etiam Auerroës nobiscum sentit, quod multò magis, si aliter interpretemur, cum illius, quàm cum nostra opinione repugnet. Ergo quid Aristotelem retinuit, qui minima quæque antiquorum errata redarguendo prosequeretur, ne & alteram opinionis partem à Pythagora, & Platone ad eò celebratam, & in omnium ore existentem reprehenderet: nisi quòd & ipse idem ratione superius adducta sentiret. Illud uerò tam aperte significat tertio de Anima illis uerbis, Non autè recordamur, quia hoc quidem expertus est affectus, intellectus uerò patiens extinguitur, & sine hoc nihil intelligit. Si enim (ut diximus) perit, cur quærit, an reminiscamur: si autem manet, cur de agente nò quærit, cum expertem affectus pronunciet, nos uerò recordari negat. An non ad idem refertur, nò recordari, & affectus esse expertem: Nos igitur censet intellectum agentè esse, aut ex agente, & patiente mixtum quoddam. Si uerò unum intellectum censuit, cur non potius, quod in promptu erat, addubitauit scilicet, cur unus alterius non habet sciētiam: neque enim hoc alibi quæsiuit, qui sciam. At si nò reuertitur in corpora, manet tamen  
intelle

Cap. 6.

intellectus, quis nouit, an reminiscatur post mortē  
neq; enim ratio illa demonstratio est: nam tāquam  
notū hoc supponit; interrogat enim uelut in pro-  
blematibus, cur non reminiscitur seu recordatur?  
nunc enim parū ad negotium refert, uno uel al-  
tero uerbo utamur, quali id manifestū supponens,  
nos post mortem non recordari. At confugiunt,  
quoniam nemo affines, uel amicos inuisit, inuise-  
rent autem si recordarētur. Sed cur hoc? aut enim  
per uigiliam aliquid agentes, hoc autem intellectui  
puro non licet, omni enim substantia corporea ca-  
ret: aut per somnia, & spectra, hoc autem cū mul-  
tis contingat, quamuis non ob mortuos, tanquam  
falsum Aristoteles præsupponere iure non potuit.  
Illud autem optime congruit, cur cū in corpus  
denuo reuertamur, præcedentis uitæ haud recor-  
damur tamen, quod & multi aduersus Pythagori-  
cos dubitare consueuerunt. Respondet pulchrè, ne-  
que propter agentem, quia huic pati non conue-  
nit, memoria autē in patiēdo constat: neque pro-  
pter patientem, quia ille corruptus est: quare nec  
merito sui, nec merito agentis, quia sine patiente  
nihil agens intelligit, nō recordatur. Sed dicere po-  
tes, an non adest post nouum ortum alter patiens  
intellectus? Certè sic: sed agens (dicit) nihil intelli-  
git sine patiente: illa autem: quæ in alia peregrinus  
uita, à patiente intellectu illo cognoscebatur, non  
ab hoc, ideoq; illorum obliuiscitur: uoluit tamen  
& per hæc uerba, ut intelligeremus, posse etiam nō  
denuo ingredi in corpora, sed in unum coire, & ad  
unum, ut opinio Plotini erat: sic tamen ut essent di-  
uersa

uerfa in numero, & unum in principio, & effentia ficut partes lucis in Sole, quæ numero diuerfae funt, ita quòd una non eft alia: habent tamen idem principium, & eandem effentiam. Quia ergo folæ hæ duæ opinioniones ueræ effe poterant, per hæc uerba utrâque declarauit, effe poffe, fed tamen ei quæ diceret, denuò animas in corpora reuertí, magis affentiri.

Accedit, quòd ille huius fuit opinionis, ut in Politicis apparet, quòd ciuilis ratio ciuitatum in idem post multa fecula rediret: idem de opinionibus cenfet in Metaphyficis, hoc non alio magis fundamento credendum eft, quàm quòd iidem homines reuertantur. Inde etiam Pomponatius in fecondo, & in proœmio quinto, de Fato confiteatur hanc opinionem folam immortalitatē animi tueri poffe apud philofophos. Sed hæc fatis de hoc nūc, reliquum eft, ut rationem dubitationis superioris exponamus.

Ergo propter hoc dubitauit meritò Philofophus. Omnia quæ in anima funt hominis, aut in intellectu, aut in mortali anima funt: hoc nemo negare potefi. Horum uerò, ut iam dictum eft, accidentium & formæ substantiæ folum fubiectum effe poffunt: agat materialis intellectus, fe u præparatio ipfa animæ, agat patiens, fe u qui recipit formas, agat memoria, agat intellectus potentiæ, tandem omnia ad intellectum agentem, uel animam reduci neceffarium erat. At non contentaneum uidetur, cum omnia ad alterum duorum reducãtur, maxime autem fenfibilia ad mortalem animam, intelligi



intelligibilia ad intellectum, ut mortali sublata anima, omnia funditus interirent: maximè autem remanere duo uerisimile erat, memoriam quòd in substantia maneat, unumquodque enim uidetur uiuens, ac sentiens quodam memoriæ genere polere: nam uix in herbis memoriam quandam, seu consuetudinem sustuleris, cum multa illarum genera & tempore cõstituto, & eodem foliorum numero, & totidem neruis, atque uenulis germinent, intellectum quod propria uideretur illius operatio. At contra uidebatur in rerum successibus: apparebat enim illum tanquam tabulam nudam esse dum homo nascitur, nec recordari præteritorum, ut aiebat Plato. Hac igitur causa subiecit, utriusque rationem simul, ut dixi, declarans, alterum illorum duorum fore necessarium, & cui magis ex illis duabus opinionibus esset adhærendum: sublato enim infinito, non aliter certo numero animorum perpetuæ, ac sempiternæ hominum successioni, infinitoq; illorum numero satisfacemus, quàm si eundem animum infinitis reciprocationibus in corpora reuerti concesso: atque id etiã exemplo orbium cœlestium, nam & hi cum cursum suum peregerint paucis annis, uel diebus, denuò ad initium reuertuntur, æternitati æui breuibus temporum spacijs satisficientes, nec tamen idem in diuiduum reuerti uult, ut ille dicebat,

*Atque iterũ ad Troiã magnus mittetur Achilles.*

Sed additione corporis noua, alium, atq; alium fieri: sicq; diuinus hic Philosophus, ac admirabilis

bilis, ex omnibus de animi natura sententijs optimam, ut Philosophus nobilissimam, ac uerissimam elegit, ab ulterioribus abstinens, non solum quod incerta essent, sed quoniam fabulis anilibus similia forent, grauitatem suam, ac iudicij proprij dignitatem undequaque imitatur, cum meliorem non haberet. Sed iam protinus non pauca emergunt difficultates, ut primum rei ueritas patuit. Dicit quispiam iam, quid mea refert, si intellectus sine intellectu sui oblitus maneat, non ne idem est, ac si interiret. Respondeo, non de desiderio nostro nunc est disputatio: sed quaenam mens Philosophi fuerit, quid ue rationi naturali innitendo tenendum sit. At uero & istud maximum est sic manere: nanque si magno morbo correptus memoriam totam praeteritorum amittas, ut in Thucydidis pestilentia accidisse affirmant, an non tamen magnifacere sanari, ac superuiuere, dummodo denuo iterum discere posses, quod animo contingit, cum ad corpus iterum accesserit, neque uero tam omnia illum ignorasse existimes, ut etiam seipsum, nanque hoc ut demonstrari non potest, sic neque firmiter improbari: unum sufficit, eorum quae hic illi contigerint, a morte non meminisse. Sed quo nam pacto plures, cum in eadem sint specie, numero differentes esse possunt? At ego te interrogabo, quo nam pacto tot sydera uno in caelo, uix enim pauciora animis nostris esse credam: neque enim assentior astrologis, qui ea *M. XXI.* affirmant esse, sed cum sacra pagina potius, Multiplicabo semen tuum (dicebat Abraham Angelus in Dei persona) sicut stellas

las cœli, & uelut arenam maris. ac nisi infinitum stellarum numerum constituas, abusiua comparatio est. At nec hoc à ratione naturali absouum est, cum notabilium minimæ centies terram continent, paruas igitur, ac pusillas absque numero, (quod & lacteus edocet circulus) esse credendum est. At hæ materia non differunt: nam materiam non

Cap. 63. c. 79. continet cœlum, ut primo & octauo Physicorum, & primo Cœli, ac octauo, & duodecimo primæ philosophiæ, & in libro de Substantia orbis ab Auerroë colligitur. Sed dices materiam quæ est actu contineri; illi uerò negant potentiam. At ego dico, intellectus perfectione per se differre, quæ tamen sub eadem forma cõtineatur: nam & hoc Philosophus concedit, quod stella à stella perfectione differt, quia forma à forma: & Auerroës in secundo Cœli aperte bis confitetur, stellas sub una specie contineri, reprehenditq; Auicennam, qui illas sub eodem genere tantum collocabat. Sic dico intellectus esse: & distinctio formarum materialium facit semper diuersitatem in specie, quia est aliquid sub illis, & est prima materia, à qua fit compositum. Et ex hoc apparet, cur tam pauci homines sint eruditi, & magni ingenij: nam requiritur intellectus præstans, & corpus benè præparatum: nam ex quatuor cõiunctionibus, scilicet intellectus nobilis cum corpore nobili aut ignobili, item intellectus ignobilis cum corpore ignobili uel nobili, solum est una, in qua contingant Philosophi clari, & in ea etiam requiritur regio, educatio, ualitudo, uitæ longitudo, facultates, Esse autem sic, ostendit

T. cap. 20. ca. 4. & 12. T. cap. 10.

Ca. 49. & 59.

dit

dit Aesopi fabularū autoris historia, cuius animus excellens in corpore uili non solum fortuna, sed etiam natura habitauit: alij cum ingenio, memoria, & commodis polleant, non tamen in magnos uiros euadunt: nam illorum agens intellectus ignobilis est, licet præparatio optima sit.

Sed iam multa occurrunt difficillima: Primum quod Philosophus tertio de Anima inquit, Is igitur intellectus, qui animæ nuncupatur (dico autem eum, quo ratiocinatur anima, et existimat) nihil est eorum prorsus actu, quæ sunt antequam ipse intelligat. Subijcit rationem: quoniam qualiscunque natura ponatur, impediet, ne quicquam intelligat. Concludit igitur, quod nulla sit illius natura: nos autem lumen quoddam agentis intellectus illum esse posuimus. Rursus infra, Intellectus potentia quodammodo est intelligibilia ipsa, actio uero nihil est eorum antequam ipsa intelligat: oportet autem in ipso nihil esse, perinde atque in tabula nihil est actu scriptum, antequam scribatur. Deinde affirmat hunc eum esse intelligibilem, ut reliqua: quod uero intelligitur, si sine materia sit, idem est ei, quod intelligit: at uero iam dictum est, illum qui intelligit, nihil esse, nisi postquam intelligit, id est purum actum: igitur omnino etiam intellectus agens talis erit: nam & uniuersalia, quæ per intellectum tantum sunt, nihil sunt extra intellectum.

Tertium, quod difficilius uidetur est in capite quinto, dum dixit,

*ἡδὲ ἡδὲ διώαμι χρόνω πρότερα ἐν τῷ ἐνί  
 9 2 ὅλως*



ὅλως δὲ εἰδὲ χρόνω, ἀλλ' ἄχ' ὅτε μὲν νοεῖ, ὅτε ἢ  
εἰ νοεῖ.

*Id est: Quæ autem potentia tempore prior in uno, omnino autem neque tempore, sed non quandoque quidem intelligit, quandoque autem non intelligit.*

Igitur agentem intellectum cum semper intelligere uelit, uel unus erit in omnibus hominibus, ut Auerroës cum alijs censet, uel extra nos: nam nobis constat ipso experimento, nos ipsos haud semper intelligere.

Cap. 7. Quartum, quod subiungit in eodem tertio, hæc uerba,

ὅλως ἢ ὁ νοῦς ἐστὶν ὁ κατ' ἐνεργειαν τὰ πράγματα νοῦν. ἄρα δὲ γινώσκειται τῶν κεχωρισμένων τῶν νοεῖν ὄντων αὐτῶν μὴ κεχωρισμένων μεγέτους, ἢ ὅ, σκοπέτω ὑστερον.

*Quod est: Generaliter autem, Intellectus est secundum actum, ipsæ res intellectæ. An uerò esse possit, ut separatorum aliquid intelligat existentem ipsum non separatum à magnitudine, posterius considerandum.*

Quæ hic duplex ratio, difficillima etiam utraque emergit, & quòd intellectus nil sit, nisi res illa  
Cap. 1. intellecta, & quòd non separetur, octauo etiam de Natura animalium dicitur enim in homine ars, sapientia, prudentia, sic in nonnullis belluis inest uis quædam eiusmodi altera naturalis: constat hoc esse planè argumento puerilis ætatis, in qua futurorum habitum, & quasi semina uideris. Et tamè per id tempus animam hominis nihil differre à belluarum anima propè dixerim, Ad horum primum, negat

negat Theophrastus adeò absolute hoc debere intelligi, ut nihil omninò sit, imò nec ipse idem: uerùm nulla iam est substantia: nam nec materialis, obstrueret enim: nec materia carēs, essent enim duæ substantiæ immateriales in homine, quod nec uerum est, nec uerisimile: & hic fuit Themistij error, quem quasi secutus est Auerroës: hunc tamen intellectum postmodum scientiam rerum philosophus infra esse docet, uelut Philosophiam, Geometriam, ac Theologiam. Sed de his paulò post clarius in terminorum interpretatione dicemus, quanquam & superius iuxta Alexandri principia non pauca ostenderimus. Esse autem lumen intellectus agētis potentiæ intellectum, si propriè loqui uelimus, nō negamus: nec hūc, sed qui postmodum perficitur, nihil esse affirmat Philosophus: clarum autem est, nihil nec hanc, nec sequentem cum dictis pugnare autoritatem: nam in secunda autoritate docemur, intellectum potentiæ seu patiētem, seu materialem (differunt enim plus nomine, quàm re ipsa) esse etiam intelligibilem, ut idem in seipso recipiatur: atque hoc ad propositū perinde maximè est, quòd scientia de anima intellectiua ea ipsa est: nam & intellectus est, & trahitur in libro tertio de Anima: prout tamen est in ipsa mente, non ut scripta, quia intellectum patientem sui ipsius receptiuum nemo negare potest, neque repugnat dictis, quinimo autoritates hæc adeò illis, quæ iam demonstrata sunt, nulla ex parte repugnant, ut etiam non minimum fundamentū eis præstent. Verùm tertia longè difficilior est, ut qua nullum aduersus opinionem no-

q 3

stram

fram argumētum efficacius inueniri possit, ut nisi omnibus parem afferret difficultatē, seu qui unum seu qui mortalem censuerint intellectum, aut duos, ambosq; immortales, aut formas hominum, aut principia tantum, uoluntariam nostram interpretationem in Aristotelis uerbis quis posset suspicari. Verum cum nullis alijs ea autoritas minus exhibeat negocium, nobis etiam penè solis nullo contorto Philosophi sensu, aut uerbo responsio clara patet. Liceat igitur, quod in singulis penè argumētis Pomponatius sibi usurpauit, nobis tantum in hoc uno difficillimo argumento facere, ut scilicet contra argumentantes argumentemur, ita tamen ne argumentatio hæc pro responsione satisfaciatur. Ergo tria proponit Philosophus, intellectum agentem sine patiente nihil intelligere: intellectum agentem semper eodem modo ad ipsum intelligendū actum se habere: intellectum patientem corruptioni obnoxium, atq; ideo non semper intelligere, atq; hæc omnia intra parui spatij metā. Dicat igitur, quo nā pacto finis hic tractationis de animæ immortalitate secū non dissidebit. Auerroī certè nō licet etiam ultra suum cōmentum id tueri: nam patiens intellectus corruptibilis, & sine hoc nihil intelligit agens, at uerò si dicat, semper aliquē intelligere patiente intellectu, uel igitur agens nō uerè est immortalis, uel patiens est corruptionis expers: quorū utrūq; tam cōtradicit illius opinioni, quàm etiā philosopho repugnat. Addit autē præter hæc Auerroīs opinio illud absurdissimū, quòd intellectum agētem facit Deū, Ergo Deus sine nobis nihil intelliget, quia uerba hæc

ha hęc extrema ad potētiae intellectū cōuertit: sed par hic labor, & maior absurditas: nā & hūc præter agentē facit immortalē. At sine patiēte hic nihil intelligit. hoc autem iam falsum, quod prior illo sit. Sed præmittatur hoc inconueniens: hic autē uel in uno, uel in uniuersis cōsiderāndus est hominibus: si in uniuersis, igitur & hic immortalis, erūtq; iam tres in homine intellectus immortales, aut si hoc nō sufficit, nec erit qui potētiae est immortalis, cum & ille solus respectu omnium hominū, nō unius semper uigeat: si uerò ad unum referatur hominē, planè uterq; erit mortalis: nam non semper intelligit, uel non intelligit. hęc autem ratio præcipua animi immortalitatis, seu agētis intellectus. Deteriora uero, ac absurdiora, cum ad reliquas sequatur opiniones, ad responsionē me conuerto, nam de Alexandro, uel Pōpanatio quid dicam: qui nō solum nihil habent uerisimile quod respōdeant, sed neq; quod fingant. Ergo Philosophi sentētia incōcussa, & nulla ex parte sibi absimilis manet: intellectus hic immaterialis agens ex uno fonte proficiscitur in plures distributus, sua natura illuminat semper, & semper habet primas secū notiones, quas quidā cōmunes animi sentēcias, aut prima principia appellant: ipse uerò nec nunc modò intelligit, nec modò non: sed ad suam quidē intellectiōnē eodem modo semper, ad humanā autem nō semper se habet, sed cum immiscetur, tūc intelligit, cum patiēs ipse intelligit. At hoc neq; arguit, ut in unū omnes intellectus cōueniant, sed potius, ut differāt. Quod uerò nihil sine patiente intelligat, clarū est, de acquisita scientia illū



loqui, non de primis notionibus: nam has illi naturaliter inditas esse fatentur: hoc uero tantum dum corpori iungitur dicit: nã (ut diximus) si de separato intelligat: quis illi hoc retulit: manifestum est igitur quã clarè, quid uellet, quasi enigmate nobis expressit. Succedenti authoritati respõdeo, proprietatẽ sermonis Græci ostendere, si per κατ' ἐπίστασιν, ἐπίστασιν intelligamus schema esse. Ergo propriè loquẽdo, quod secũdũ actũ est actũ est, & ad actũ exit, nõ quod antea solũ potẽtia, ut prima materia, uel præparatio sit: sed quoniã actũ existens non exibat ad actum: igitur antea substantia erat, quare hĩc de intellectu speculatio loquitur, hĩc proculdubio res est intellecta, quare istud cõtra Alexandrũ, & Põponatiũ est, qui agentẽ, & patiẽtem nihil esse putãt, sed solam præparationẽ: præparatio autem ἐν ἐπίστασιν esse potest, κατ' ἐπίστασιν esse nõ potest: extrema pars utrãq; amplectitur dubitationẽ, An in magnitudine existẽs intelligat: an intelligẽs possit esse in magnitudine. Alia autoritas ordinẽ, quẽ diximus docet: nam extrema perfectio intellectus humani proxima est intelligẽtijs, minima uero materialibus formis perfectissimis, sic intellectus humanus per gradus hos distributus mortalia diuinis continuat, habetq; in altero extremorũ diuinis penè homines, in reliquo, ac ex toto sibi cõtrario extremo belluinos. Porro adhuc magis in imperfectis, ut pueris, ac mulieribus hoc apparet, ut nõ absurdè quidã seu fingãt, seu doceãt, Mahumethẽ lege sua statuisse, dixerint, Mulieres carere humana anima immortalĩ: nã ad operationẽ fermè re-  
ctè di

Etè dictū, cum nō sit sexus, ut puerorū ætas, permu-  
tabilis. Porro nō minus difficilis (ut diximus) auto-  
ritas duodecimi primæ Philosophiæ, quam multi  
pro immortalitate adducūt ad euadendū: sed cum  
illam etiā superius interpretati simus, nunc eā præ-  
terire decet: unum tantūm adjicientes, hominis for-  
mam esse intellectuā animam, corporis autem ma-  
terialem, utraq; corruptioni obnoxia: animæ in-  
tellectuæ formam, actum, principium, quo omnia  
agimus, intellectum hunc esse agentem, atq; uerè  
immortalem, & incorruptibilem.

*Solutio Argumentorū cōtra animi immortalitatē.*

**V**erūm cum multa aduersus hæc pro Alexan-  
dri opinione ab initio dicta sint, alia uerò  
pro Themistij, & Simplicij, ac Auerrois unitate,  
nam de Theophrasto cum eius libri, qui de anima  
inscripti erant, exciderint, incertum est, quam ille  
de animi substantia sententiam habuerit: operæ  
pretium nunc esse duco, ad singula obiecta respon-  
dere. Cum itaq; primo dicitur, illum in senectute  
deficere negamus secus, quàm in morbis: at uerò  
in morbis restituto instrumento redit, in senectute  
non redit, quia instrumentum non fas est restituere,  
igitur instrumenti causa perit: at hoc manife-  
stum est immortalitatis argumentum, cum inua-  
lidus non fiat uiribus decrecentibus, sed ad mul-  
tam augetur senectam: non sic ulla uis corporea,  
quid igitur maius habent negocium, qui sequun-  
tur Aphrodiseum ex hoc argumento, quàm nos:  
nam ex superstructis iam imaginibus hoc accide-  
re dicunt: Sed tamen memoria adhuc per eunte ma-

q 3 nec

net mens in senibus, atq; prudentia: indicio sunt acta Tiberij, & Augusti sub extrema senectute, atq; Seueri Pertinacis, qui Getæ pater fuit. De Intelligentijs non est quod nunc dicam: non enim ignoro mouētes orbes quàm paucas esse docuerit Philosophus duodecimo primæ Philosophiæ. At uerò quispiam me doceat, quid hæc uerba significant primo Coeli, cum dixit,

Cap. 9. Διοτιερ αὐτ' ἐν τόπω τὰκῆ πεφυκεν, ὅτε χρόνῳ αὐτὰ ποιῆ γηράσκουσιν, ὅδ' ἐσιν ὁδενὸς ὁδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τῆν ἔξωτάτω πεταγμένων φορῶν, ἀλλ' ἀναλλοίωτα καὶ ἀπαθῆ τῆν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν, καὶ τῆν ἀνταρκτικῆν διατελεῖ τὸν ἀπαντα αἰῶνα καὶ γὰρ τὸ τ' ὀνομα θεῶς ἐφθεκται παρὰ τῶν ἀρχαίων. τὸ γὰρ τέλ' τοῦ περιεχομένου τῆς ἐκάστου ζωῆς χρόνον, ὃ μὴ δὲν ἔξω κατὰ φύσιν, αἰῶν ἐκάστου κέκληται.

Hoc est: Quapropter neq; in loco esse nata sunt, neq; tempus ea facit senescere, neq; est ulla ullius mutatio eorum, quæ super extimam lationem (coeli) posita sunt: sed nec pati, nec qualitate ulla permuari optimam habentia uitam, et sufficientissimam omnibus indefinenter seculis. Etenim hoc nomen diuine pronuntiatum est ab antiquis. Quod enim finis est unius cuiusq; uitæ continens tempus, cuius nihil secundū naturam extra est, sempiternitas uniuscuiusq; nuncupatur.

Hæc cum ille dicat, pluraq; extra coelum faciat sempiterna, non est quod de Deo tantum interpretari ea uerba possimus, sed neq; de reliquis intelligentijs, cum illæ non possint extra suam orbem esse

esse. Itaq; Auerroës confusus, quid exponeret non habebat, tum maxime, quod non tam clarè in sua uersione mentem Philosophi hæc uerba reddebãt. Sed hoc mittamus: nam suspicionem adducit, uoluisse Philosophum, quod & fides nostra sanxit, non mouentium intelligentiarum numerum esse maximum: aut forsan de animis ipsis intellexit. Quicquid sit, ego longè facilius argumentum diluero, quàm his uerbis uerisimilis adhibeatur interpretatio illorum sententiæ, qui solum mouentes intelligentias iuxta Philosophi opinionem statuunt. At uerò animalia quanto uiliora, tantò numerosiora, ut pisciculi, ac formicæ: Deus unus est, quia perfectissimus: nostri animi, quia medium inter æterna, & mortalia possident, illis conuenienter numerosiores, his pauciores erunt, deniq; stellas (ut iam diximus) non pauciores animis esse crediderim, etiam si octo tantum orbes statuatur: at plures esse necesse est. quinimo si uera fateri uolumus, illorum incertus erit numerus: nouem Alphonsus statuit, Purbachius decem, Vernerius undecim: omnes rationibus uerisimilibus numerum auxerunt. Quod si animi etiam ex uno prodeant principio, quid absurdi continet opinio nostræ non ne aquæ partes sunt innumeræ, nec unius substantia, cum alia eadè numero existit: quod si per se etiam stare credantur, nullum incoueniens sequitur. Ego tamen nulli intellectus nostros assimilari rei magis, quàm stellis ipsis posse crediderim, seu numerum, seu naturam spectemus, seu reuolutionem, quæ unaquæq; in suo orbe perficit. Sequenti argumen-

to di



to dicimus propriam habere operationem intelligere, sed nō huius generis, quanquā nihil obstat cū rediturus sit animus, uelut etiam in corpore torpere per somnum. Succedenti uerò rationi occurrimus, dū Aristotelis dicta octauo de Natura animalium interpretaremur: omnis tamen scientia quantuncunq̄e exigua diuinæ naturæ particeps est. Neminem ad nos uenire nondum tam certum est, nisi Philosopho credamus, qui negat illos recordari: esset etiam labor, ostendere, si recordentur, quomodo nostris sensibus se ingerere possint. Ferimur ad malum, quia portio diuina non ad mores, sed intellectum instituta uidetur. Mores compositi sunt, triplex enim operatio homini, Intellectus, & est sapiētia, Corporis edere bibere, hominis totius audere, iustum esse, decuit quæ commūnia essent & in quibus homo probaretur, unam partem tantum sibi adscribere, gloriæ cupiditatem habemus, quia præsentia eclīi minora sint ijs quæ absunt, quanquā ualidioribus plus mouent. Celebramus autem Homerum, & Achillem, quia comparatio inter homines est, non inter iam exutos corpore animos: nam & pueri pueros obseruant, magis de illis curātes, quā de magistratibus, plusq̄ aliquos coæquales, quā reges admirantur, an ideo dīminutionis regiæ Maiestatis hoc argumentum: an potius illorū imperfectionis ob ætatem: nobis autem ob mistionem & Mortē formidamus, quia uel dissolutio, uel interitus, utrunq̄ per se malum, & est sensitiuæ hoc priuilegium: plantæ non timent, & nos timere non deberemus: belluæ timent

ment solæ sic, ut meritò timeant: cur uerò non semper intelligat, & quomodo etiam semper, iam declarauimus. Porro diuersitas opinionum difficultatem parit, de pœna lex nostra tradit causam esse diuinam offensionem, Philosophi aut non concedunt, aut illam reuertente animo in corpora finiūt tempore: an non reges morte fontes puniunt, & est hæc pœna ad temporis rationem collata infinita: alij ad carceres perpetuos, qui sententiæ causa, licet non uitæ humanæ conditione, perpetui sunt. De Philosophis autem, poëtis, ac historicis, non est, ut contendat illi, qui mortalem animum statuunt, cum ijs, qui eum asserunt immortalem, nec enim est cõparatio ulla, nec quisquàm qui sapiat, uel itaq;, Aphrodisei sententiam tueri, ad calculum eruditorum hanc deducet controuersiam. Ostendimus autem hæc in libris de Archæis æternitatis. Esse autem aliquem poëtam leuem, qui de bonis maledicat, quid mirum? multò minus mirum in Platone, qui eos è republica censuerit explodendos. De belluis fati diximus, tueri illam sententiam posse, sed non adeo, ut de sola hominis intellectuua cõsentaneam, tum rationibus, tum Peripateticorum dictis. Fate-mur, hoc unum tantum esse in homine à belluis distinctum, rationem siquidem, id est intellectus substantiam: sed ex hoc uno plura pendent, propter quæ & necessarium est, eam dicere, & esse immortalem: dormientibus autem, sicut & morientibus, spirituum operatio, non intellectus substantia tollitur, quanquàm nec id perpetuò, sed in morte, uin-culo, & carcere liberatur. Infinitum numerum no-  
stra

stra opinio non admittit, cum certis legibus constitutus illorum numerus satisfaciatur. Plurima uero indicia cum immortalitatis animorum sint, nobis scire modum non est concessum, forsitan finis ratione non enim liberi essemus, sed metu coerciti. Illud tamen constat manifestis prodigijs aduersus inualefcentem hominum petulantiam, ac pertinaciam singulis æuis declaratam: unde fabulosas inuentiones pro his dissoluendis, ac commentationes ridiculas Pomponatius sæpe molitus est, quæ aded absurdæ sunt, ut si modo historia constaret, fidem immortalitatis non parum augere possent. sed qui callidiores sunt, negant ea fuisse uera, ut referuntur: machinas uero responsionis irrident: eandem ob causam prohibemur nos ipsos, qui simus, agnoscere: ueni enim, non uoluntate boni essemus. hic autem finis. Cæterum efficiens huius causa est, quod sensus intellectum apprehendere nequit: intellectus autem sentire non potest: at ut in corpore est, sensus uel potius, quam intelligendi indiget, ut sciat ubi sit. De partitione dictum est, nullo tempore defuisse, qui animos dicerent immortales: nam & qui colunt simulachra, credunt tartara, & animos superesse: fateor plurimum interesse ob fidem, cum quis mitius mortem ingruentem, & æquiore fert animo: sed seu credas, seu non credas, superest tamen, argumentum uero ex memoria sumptum non inuolidum fuit apud Academicos, qui omnia nos recordari purabant, eandemque esse memoriam, & scientiam: belluas uero ob id animum, & intellectum habere, quæ si ita essent, dilucidius quam ab ullis

ullis alijs animi immortalitas ostēderetur: sed non est, dicit Philosophus, hæc æterna memoria: at nec nouam hanc pro argumēto Plato commemorat, non nescius, eam aut non esse, aut uim esse corpoream, at cū uideret nobis naturaliter indita principia, atq; inter ea hoc unum magis, quàm aliud, illud etiam edocuit nos ut spectaremus, an & idem in reliquis, quæ à nobis cognoscuntur, contingeret. Aristoteli autem uisum est omnē doctrinam, & omnem disciplinam ex præexistenti esse cognitione. quare si aliæ propositiones, aut sensitiuæ cognitiones necessariò procedunt, non est memoria hoc nostrum scire: nam illos uidemus, qui aliquid memoriæ mandauerint, non alienis, sed eo ipso quod didicerint, ut recordentur, indigere. Galeni fundamenta satis iam, & ex abundanti sustulimus, Plinij ignorantiam, & Aphrodisæi ambitionem declarantes. Quod de pœnis subiicitur, tribus modis, sed tamen difficulter, apud Philosophos defendi potest: primus, ut mergi corporibus pœna sit, diu abesse uoluptas: inde qui fœtibus imperfectis excedunt, aut forsitan qui diu hic uersantur, miseri sunt: hoc enim declarauimus in libris de Consolatione. Alius modus est, ut intellectus hi plenius, abundantiusq; perficiantur, aut tenuius, ac exilius. Tertius, ut redeundo fiant puriores, retardeturq; ultima, ac extrema perfectio, qua uni tantum copulatur. Sed Philosophis non ob pœnam, uel gratiã exorta immortalitatis intellectus opinio, sed ob illius potius substantiam. Itaq; secundum illos nondum decretum est singulariter de anima. In uniuersum



sum autem uidetur omnis æterna substantia cruciatus, imò affectus cuiuslibet expers. Continuitatis, & affinitatis in homine omnium uirtutum causam declarauimus, quoniam medius ille sit, & participatione & mixtione substantiæ inter æterna, ac mortalia: & si talis non esset, sed magno discrimine uirtutes disiungerentur, non posset esse homo perennis. At uerò ut ad belluas confertur, differentia maxima, ac tanta apparet, ut quæ in homine sint, quia intellectu afficiuntur, parum differre potius ab intellectu existimes, quam à sensu intellectum. Quomodo autem in loco sit, & quomodo adueniat, dubitationem non paruam habet, quam etiam Auerroës non subterfugit: habet autem tot longè hoc uno difficiliora opinio illa, ut ad hanc dubitationem nemo aduertat: si enim in semine mens est, nec diuiditur, quomodo est immaterialis: & si non est, quomodo nobis aduenit? Parem autem habet difficultatem seu ex India, seu ex corpore matris in filium, qui in utero est, transmigret. Esse autem in loco, parem habet difficultatem, etiam si mortalis existat. Ergo & ut adueniat, & ut sit, commune aliquid habet cum contrarijs opinionibus: qua enim ratione intellectum in nobis esse dixeris, eumque mortalem, eadem ratione ego, si immortalem dixerero, tuebor in nobis esse: nam quod ad immaterialis substantiæ modum pertinet, unde difficultas consistendi in loco exoritur, par, atque una eadem causa, atque conditio est. Stultum uerò est credere, ut in loco actu sit, atque ei coequali, nam nec quantitas est, nec ulla quantitatis ratio: non est punctus in loco, quia

co, quia indiuiduus est, multominus intellectus: neq; uerò querendū est, an sit in puncto, an in loco, an in magnitudine: est enim hæc dubitatio prorsus eorum, in quibus imaginatio abundat, & deficit intellectus: siue enim Deum, aut intelligentiam, aut intellectum, in loco posueris, seu in uniuerso, seu in puncto, inaudita sequentur inconuenientia. Quare Aristoteles dixit, Deum non esse potētiam in magnitudine: nisi quia non est nec in indiuiduo, ut punctus, nec diuiduo, ut corpus, linea, uel superficies. Sed tamen opus hęc, uel ibi manifestum est. Fateor, sicq; determinatum locum habere uidetur, hoc autem ut mouet, non ut intelligit: nam quod mouetur, corpus est, & omne corpus est in loco: neq; uerò ut intelligit, est in ambitu rotius, seu in loco, ut quarto Physicæ auscultationis describitur locus. At uerò hoc durū quibusdam uidetur, qui nil nisi corporea cogitant: an uides, cum intelligis cœlum, te in cœlo esse secundum intellectum: cum mare, in mari & nullibi igitur est, cum terminos concipit uniuersi aut Deum. Rectè, inquam, seruator dixit, Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum: quæ enim intelligimus, intellectui patienti eadem fiunt: & si duo simul concipere posset, duobus in locis esse uideretur. Verum nec in aliquo, ut diximus, loco est, nec duo intelligere potest: intelligit complexa, sed unum facit: quæ autem omnino libera sunt à materia, multa quidem intelligunt, sed omnia tamen ut unum, eoq; ut nobiliora, sic simplicius ea intelligunt. Deus igitur seipsum intelligit tantum, nam ipso nihil est nobilius, nobilius autem intelli-

Cap. 41.

r g t

git ex omnibus unum si tantum intelligit : ac uerò in hoc uno cuncta. Intellectus noster ab hac unitate est remotissimus, ut qui solus successiones habeat: ergo tamen à natura generali intellectus non discedit, ea est, ut unum tantum intelligat : complexa autē quasi duo facit, quia duobus simulachris indiget, ut id intelligat: ut si hominē lapidem non esse intelligo, & hominis, & lapidis simulachro indigeo. Concesso autem, quod intellectus media uoluntate moueret nostrum corpus, solet quæri, quo modo hic incipiat mouere, an ne transitus aliquis sit, aut quomodo contingat: neque uerò illud, ut indiscussum, prætereundum, quod Philosophus iuxta quorundam sententiam supponere uidetur, Individuum scilicet moueri per se non posse, imò nullo modo, ut quidam putant : non est enim individuum, quia omnis forma aut corruptioni obnoxia est, atque ideo & in materia, & in corpore, aut cœlestis, & ea corporea, aut materia caret: hanc autem declarauimus non esse quantitate diuiduam, aut indiuiduam : differentia enim rerum præsupponunt genera, quare non erit intellectus, cum nec quantitas sit, nec quantitatis principium, nec diuiduus, nec indiuiduus. Hoc autem non absimile est, de intellectu quære, an sit indiuiduus, ac si quærat, an albedo sit calida, frigida uel: remota enim est natura calidi, ac frigidi ab uniuerso genere albedinis, & colorum: at longè magis abest intellectus à quantitate, cum omnis quantitas quandam materiam præsupponat: intellectus autē materia prorsus caret. Igitur albedini calor non conuenit, neque  
frigus

frigus: at intellectui diuiduū esse, uel indiuiduum etiam repugnat. Ergo ut ad primam reuertar dubitationem, quod mouetur successione habet, & mobilis, & spaciū ratione: hæ ambę insunt his, quę perfectam habent successione: nihilominus indiuiduum, & punctus continuo motu procedere possunt, nec tamen linea, aut continuum ex indiuiduis componetur: hoc enim planè impossibile est, sed in qualibet temporis parte punctus lineam perficit: esse autem punctum, & lineam, haud dubium est. Nam radij solis cum stellam, uel lunam tãgunt, ex Euclide in tertio libro, si radij solis omnino recti sunt, & lunæ corpus, aut syderis exactè rotundum in superficie tangunt obliqua, ac exactè rotunda, cuius terminus circulus minor est: at uerò duobus radijs cõcurrentibus linea perficitur, tribus autem punctus, quod nos ostendimus præter cæteros in libris Elemētorum, ubi de solidis loquuti sumus: quare & punctus est, & punctus mouetur, uerum successione à spacio habet, ac continuitatem: non autem ex se, ipsum etiã per se moueri nequit, quia per se esse non potest: nam omnis punctus est alicuius lineæ extremum, omnis linea superficiei, omnis superficies corporis, corpus nunc & naturale, & mathematicum intelligo, huius autem propriè, illius autem uerè idest corporis naturalis. Sed iam ad propositam dubitationem reuertor, est autem difficillima, quomodo nobis adueniat: & cur & an sibi imperet: dicere enim, quod in nobis est, quia operatione incipit se manifestum facere, nihil aliud est, quàm Anaxagoræ assentiri: neq; enim quod

r 2 ad sub



ad substantiam attinet, magis in nobis est, quam in uermibus, uel in coeno: hoc autem falsum esse ostensum est. ergo intellectus mouet corpus, non ad corpus mouetur, neque enim indiget illo, nec ab eo pro uocatur: sic intellectus coelestes subiectum suum mouent, at hos, quia diuersi sunt, ab uno profluere uerisimile est: & sicut sol hoc quidem lumine domum meam, alio autem tua illustrat: sic est de intellectu, unum hominem hic, alium alius illuminat: quod Auerroës ferme tertio de anima fateri uidetur, inquit enim, ut materia prima omnium sensibilibus formarum subiectum existit, sic intellectus materialis uniuersalium: palam enim est, materiam primam unam esse, sed tamen diuersis partibus, diuersis temporibus formas successiue recipere, non simul omnes, nec secundum eandem partem. quare haec opinio Auerroës opinio ni quasi similis est, nam nec ille indiuisibilem dixit, sed dicit, non aliter se habet materia ad suas formas, quam intellectus ad suas, nisi quod materia illas non cognoscit, intellectus autem cognoscit. Sed hinc plures prioribus, nec minus difficiles oriuntur dubitationes. Quid enim impedit intellectum, ne alium illuminet: nam in Solis lumine manifestus est obex, corpus non peruium: at in intellectu nihil non est peruium. Declaratum est etiam, intellectum esse in anima, hanc autem in parte cordis, quae quiescit, in spiritu siquidem substantiae illius, intellectus igitur hoc modo & in loco est, & ad locum uenit. Veruntamen nobis magis arduum est explicare, quam docere solutiones: est autem ratio intellectus mei ad me, & tui ad te unio: ergo neque tuus me, nec meus te illuminabit unquam

unquam: unitur autem, quia hoc placet ei, qui est illius origo secundum naturam: neque enim minus est uerisimile, intellectus distribui hominibus, quam solis lumen, ac uirtutem illam generationis, & tutelae horum inferiorum fontem elementis: at de illis fatis constat, & quod distribuantur, & quod diuersis partibus ipsis assistant, quare huius intellectus eadem ferme ratio est: est autem in corde, quatenus in anima est: motor enim illius, & principium assumit eam, nec tamen illius legibus circumscribitur, nec in hoc lumini potest assimilari, non luci: nam lumen est ubi corpus est, intellectus autem non est ubi corpus est, cum nullibi sit: neque uero est secundum imaginem ut lux. nam Solis lux in Sole est, imago inter mortalia uolat: at oculi uident luce solis, non lux ipsa est quae uidet. Porro intellectus ipse est qui intelligit, non aliud quicquam ob intellectum, igitur huius omnis differentiae causa est, quod prorsus materia uacat, atque ideo solus intellectus pro exemplo intellectus nostri assumendus erit, solusque conuenit: itaque ut intellectus, qui orbem Lunae mouet, sic noster, nam ille nec in superficie est, non enim mouere posset: nec in parte ulla, reliquum enim uel quadam moueretur: nec in toto, esset enim diuiduus ad diuisionem caeli partium: ipse igitur per se est, uirtus illius aequaliter per totum diffusa, aut forsitan non aequaliter: nam quae iuxta polos aut non mouentur omnino, aut tardius mouentur caeteris partibus, si concentrici sint omnes orbis, ut Peripatetici sentire uidentur. An uero in tempore aduentus hic accidat, an in instanti? quo ad ipsum quidem

quidem neutro modo, diuina enim & profus  
æterna nec in tempore sunt, nec subiiciuntur illius  
terminis, aut partibus: intellectus autem ut no-  
ster talis est, ad nos uerò comparata ratione non in  
tempore fit, habet enim rationem potius formæ  
inducendæ, quàm motus: uerùm & quietis pri-  
mus est terminus, motus autem nullum est ini-  
tium, formæ autem perfectio instanti completur:  
sed nunquid in discessu, ac morte: uidetur enim  
non dari primum hoc instans, quo aliquid esse de-  
finit: uerùm ut in motu diximus, quietis hic pri-  
mus est terminus. Difficilia hæc sunt, & ob id  
etiam hanc tractationem difficillimam Aristoteles  
appellauit ob tria: primum, quòd singularis: in  
nullo enim alio mortale cum immortali iungi-  
tur, præter quàm in homine, ideo exemplo caret,  
& comparatione: secundo, quia immaterialium  
essentiam tractat, quæ à nostris sensibus est re-  
motissima: tertio, propter nouitatem, quæ in  
elementaribus claram causam habet, in æternis  
deest: oportet autem & hanc, & materialia si-  
mul & immaterialia intelligere: non est autem ob-  
scurum, difficilius esse tria tractare quàm unum:  
ergo ut ad primam redeam rationem, causa cur  
motus esse in instanti nequeat, est, quoniam quod  
mouetur in loco diuerso, etsi in instanti esset mo-  
tus, esset idem simul diuersis in locis: at formæ  
aduentus non talis est, antea non erat, & nunc  
est, ut etiam quies: quietem uerò in instanti inci-  
pere ex hoc clarum est, quòd non mouetur in eo,  
etsi post desinat moueri, nec amplius moueatur,  
quis

quis dubitat tum primum quiescere cœpisse? Ergo neq; id dubitandum, an nobis motis moueatur intellectus, an etiam per media illum deferrî necesse sit: nam cum non moueatur ullo modo loci motu, ut qui in loco non sit, nec mouetur in nobis, nec à nobis dum mouemur, nec spatia ulla cogitur pertransire. Itaque ut tandem colligam rationem, homo, & corpus in loco sunt, intellectus operatione ipsa in loco est, diffinitione etiam est in hoc homine, non in illo, nam & hoc terminum habet, nec tamen mouetur. Diuidit autem ac enumerat mutationes formarum materialium, cum hæc una sit immaterialis, nec plane forma nec tamen ut uector, sed forma quidem patiens intellectus, & anima, in qua ille est, hic uero totius animæ pars, & eam partem, quæ extra ipsum est sibi assumpsit, ob id solus sibi imperat. Miramur cur tam difficile hoc intelligitur? at non miramur quæ prorsus esse nota deberent, & non sunt, quale est, quomodo pacto ignis pabulo perpetuo indiget, si elementum est? & ubi nam illud habet, dum in sphaera sua est? ob hoc alterius rationis hic inferior esse creditur ab Auerroë, sed hoc adhuc difficilius: nam nec calidior hic illo esse potest, aut siccior. Diffundi autem illic intellectus uim ostendit Solis lumen, & reliqua diuina: & non lucis sola imago lumen est, ut quidam aiunt: neque enim calefaceret, nec clarius medium redderet, sed est aliquid maius pura ea imagine. Porro ex subtilioribus rationibus ueritatem intellectus substantiæ quærere non debemus, difficillima enim omni ex parte,



parte, & quæ uix conciliare possis, occurrent: sed ex sensatis, ex experimentis, ex his quæ quotidie oculis subiiciuntur, ex ipsa denique intellectus substantia: nam difficilia difficilioribus quærere, nihil prorsus aliud est, quàm seipsum seducere, aliosque fallere uolentis ob ambitionem, atque temeritatem: neque enim obscurum est, cum tot quæ sub oculis iacent, ignota nobis sint, diuina alijs modis ferri, intelligere, gubernari, quæ nos hic animus corporis uinculo alligatus, & sensuum lege arctatus credat, aut existimet: & forsitan hæc dubia, aut uoluntaria dici possent, nisi eadem difficultas, quo ad hoc argumentum attinet, urgeret Alexandrum: nam inter nos & illum hoc tantum interest, quod ille accidens putat esse intellectum, nos substantiam: esse autem immortalem ex substantia, mortalem ex accidente protinus sequitur: separatus autem intellectus, intelligit ut separatus est, sed non perfecte, defertur autem ut ens naturale in hoc magis quàm illud, impulsus habet, nam nihil hoc prorsus caret, igitur non sine cognitione omnino, esset enim ut elementum, nec cum perfecta cognitione, non enim immiscetur corpori, nec minor esset natura atque perfectione intellectibus cœlestibus. Morales uirtutes manere Theologi concedunt, negant Peripatetici: quid enim eis tunc opus est: cognoscit tamē intellectus reliquos, sed non exacte, quādo nihil perfecte præter Deū quicquā intelligat: atque ob id ad eam uoluptate ingenti afficimur, cum perfectionis similitudinem fuerimus assecuti, quod enim in nobis diuinū est, mens quidē opifici  
assimilari

alsimulari nititur, quod & cæteris substãtijs separatis accidit, sed non ut intellectui: non sunt autẽ infiniti, ut declaratum est, sed numero plures, origine uerò unus tantum: inde illo intellecto, reliqui omnes in eo intelliguntur: intelligit autẽ propria natura, neq; enim quicquã intercedit inter id quod intelligit, & quod intelligitur: loqui uerò & audire fabulosum, cum nec id sine corpore fieri posse Theologi affirmet. Ad sequentẽ rationẽ nulla opinio melius nostra satisfaciet, neq; enim meminit, et si recorderetur: nõ perpetuò discruciat, etiã si optet: nos autem sic existẽtes mori uerè cõtigit, quoniã patiens intellectus moritur: neq; enim imaginatur discurretq; per singula, non sentit, non recordatur, uereor potius, ne hoc sit nimis interire: est enim præparatio sola in anima patiens intellectus, ut rectè inquit Alexander. Sed cur immortalem pronuntiat Philosophus hanc solam præparationem: nam omnĩ conuenire hoc deberet præparationi Auerroës inquit, quod Aristoteles soli patienti tribuit intellectui: nobis, non Alexandro respondere licet, quia sola ab immortalĩ causa procedit, scilicet agente intellectu: ergo Auerroës nos non conuincit, conuincit Alexandrum. Operatio autem, quæ non dependet ab alio, formam arguit: fenestras bis pueri sunt, nõ ob iudicium, quod plerisque integerrimũ manet, sed ob impotentiam, quam ægrè ferunt, ut natura mortalium est, uelle uitæ incommoda uoluptatibus aut sopire, aut obnubilare. Sed quid Pontij pater ille fenestras, quid Appius Claudius, qui cæcus etiam rempublicam consilio, totq; benè oculos

r s solus

solus seruaui: De principum autē consilio quid lo-  
quar? quando nihil magis oderint, quā seipfos,  
atque eo magis, ut meliores fuerint, ac generosio-  
res. Cæterū à morte nec amicitia est, nec inimici-  
tia. De Philosopho autem cur in libris primæ phi-  
losophiæ non locutus sit de intellectu, satis perspi-  
cuum est, cum ut corpori iunctus est, in libris de  
Anima docuerit: ut separatus, hoc unum habeat,  
quod intelligat, atque ideo alijs subiiciatur: ut uerò  
diuiditur, neque huius, nec illius planè est confide-  
rationis, uerū forsan alijs in libris locutus de eo  
est, qui interierunt, ut in libro de Anima ad Eude-  
mum, uel in quæstionibus. Moueri autem intelle-  
ctum motu quidem à sensibilibus uero ne concesserim,  
habere autem quod re ipsa testante negare nō  
possumus, quo seipsum ex ipsis perficiat, non incō-  
uenit, quandoquidē & terra Lunæ tenebras, quod  
ad ipsam attinet offundat. Non differt autē ob ma-  
teriam, ut declaratum est, intellectus ab intellectu,  
sed ob perfectionem: & quia duo unum nunquam  
esse possunt, subiici uerò rem aliquam duobus ar-  
tificibus adeò frequens, ut nihil mirum, intellectus  
coelestes ut mouentes ad naturalem pertinent Phi-  
losophum, ut intelligunt ad diuinum: pugnæ uerò  
nullum miraculum: nam & mōstra gignuntur ob  
materiæ peruicaciam: parent autem omnia uolenti  
uti ratione, sed usus & educatio hoc facit belluarū,  
hos uiroꝝ uestigia imitantes, inde hi sensum, illi  
intellectus uim, quæ ratio dicitur, sequuntur. Post  
discessum autem patiens extinguitur, agens nihil  
sine hoc intelligit horum quæ in hac uita: est enim  
ordo

ordo, quo sublato nihil in postremis est, mediōrū aliquo intercepto: quomodo tamen intelligat, declaratum est: quomodo etiam hoc utile esset, etiam si non intelligeret, ostensum est: uult autem memoriam esse rerum præsentium, ut qui fueris, talium autem nihil sine patiēte intelligit: nam reliquorum intellectus similis diuinis efficitur: ante uerò quàm mens ingrediatur intellectiua in semine est, non enim ut diximus mens belluæ iuncta intelligeret, ad mentem autem non est in potentia illa, qua materiæ partes ad suas formas, uerùm intellectiua nō semen iam actu existens, ut dictum est, ad mentem in potētia est: propria uerò operatio antequam immergatur, intelligere est, nec per se, sed ut in aliquo uno est: quare non eodem modo hic, & tum intelligit. Quod uerò mens nullo modo ad corpus in potentia sit, declaratum est: sed, ut diximus, anima ad mentem, corpus ad animā, utrunque autem potētia est in semine: ubi autem animā mens ingreditur, illa ei potentia fit: nec inconueniens reor, mortalia immortalibus mixta unum facere, ut ex mouente & moto, ex aëre & lumine: at lumen non est antè, actum tamen per se habet: esse autem antè, nihil impedit, sed potius actu hoc unum esse per se, anima uerò intellectiua mente seiuncta nō talis est: cæteris autem animalibus quod nobis intrinsecus est, eis est extrinsecus: neque enim ex materiæ elementaris commixtione sensus, & imaginatio exoriri possunt: propterea non omnino malè existimauit Plato, ut sæpius diximus, belluarum animas etiā immortalitatis esse participes: cum igitur cor-

pori



pori mens adiuncta fuerit, nutriendi non est principium, hoc enim omnino elementare quali est, & ab alijs uirtutibus adiuuatur, nec prohibet tamē quicquam, ut non una ratione, sed diuersa, imperet etiā nutritioni: nam Sol & homo hominem generant, Cap. 26. secundo Phyllicorum, at in sensu manifestum prebet auxilium: ob id ostensum est, in singulis humanis sensibus aliquid omnino inesse diuersum, ac excellentioris cognitionis, quā in uniuerso ceterorum animantium genere: corrupto autem interiore quodam, id est spiritus temperamento, qui in corde, non in cerebro est, corrumpitur intellectus actio: nam corrumpi dicitur, quod non reuertitur: aliter in somno diceremus corrumpi intellectum, & uidendi potentiam: abrupto autem cerebri temperamento, si restitui contingat, reuertitur: igitur internū illud est in corde, quo sublato homo dum uiuit, paululum autem superest, non amplius quicquam intelligit, operatio autē illa propria manet, sed ad actum nō deducitur: eadem est autem huic, ergo idem est, ac diuersum, uelut Luna, dum tenebras interposita terra patitur, menti dum nobis inest assimilatur, lucens tātum proprio lumine, dum separatur clarius lucet: nec tamen duo sunt modi in mente, sed cū comparatur quod unum est duo uidetur: uelut caliditas ignis dum cērā liquefacit, & lutum cogit, una est, & duæ uidentur, & Sol dum crySTALLUM illuminat, Iridemq; spargit, Iris aliud uidetur a lumine Solis, nec tamē est unū lumen, sed aliud dum purum est, aliud esse uidetur dum corpori immergitur: animam autem quam diffiniuit

diffiniuit mentem non cōprehendere, palàm declarant uerba illa Philosophi, de parte autem animæ qua cognoscit, & sapit, nihil adhuc dictum est: separabile igitur, imò uerò separatum, nullo modo diffiniuit; manet autem nō semper ut dixi separatum, sed corporibus denuò mergitur intellectus: at qui in me est, infinito etiā aliàs fuit in alijs, eritq; iuxta Peripateticorum sententiam: abrumpitur autem leuissima causa, quia non difficilius frangitur uitrū, quod Solis radijs illustratur, quàm quod in tenebris est; nec facilius conturbatur aqua, quæ in umbra est, quàm illa, quæ illuminatur à Sole, igitur hi materiæ casus sunt. Aut igitur mens in separatione nihil patitur, iuxta Peripateticorum sententiam, uel si patitur, iuxta Academicos, sæpius reuertitur, exireq; pro poena illis scelerū erit: uerum hoc, ut dixi, nondum Peripateticis exploratum est, sed nec repugnat. Quod uerò ex anima & corpore, imò ex mēte & anima, unum uerius fiat, quàm ex substantia & accidente, uerum est: sed tamen diuersa ratio militat, in utroque accidens à subiecto, at contrà anima à mente pendet. Irridet Philosophus de animis Pythagoricorum sententiam, ut inanem, qui diuersis corporibus specie illas tribuerent, quā obrem nos eisdem in specie diuersis in numero solum mentem eandem tribuimus: sic autem unitur, mens animo, ut eundem semper in omnibus effectum pariat: ostendit autem educatio homines hominibus, mētem menti esse simillimam: hominem igitur à belluis genere differre, haud dubium est, id est magis, quàm specie; necq; tamen ob id homo  
genus

genus est, sicut lapis ab homine differt genere, nec tamen sequitur, ut homo sit aliquod genus: eius igitur anima sensitiva intelligit, dum formas recipit agente, atque actiuo adiuta intellectu: duo uero non sunt anima & mens, quoniam mens animam subiungit, & copulat, illa uero nobis dormientibus non operatur, nec semper dum uigilamus. Quod autem intellectus aliud non sit, quam intelligendi actus, in actiuo quidem falsum: est enim substantia aliqua, quæ intelligit, & tamen hæc operatio potest impediri, ac mergi, sed non diu: at patiens secundum actum primum manet nobis quiescentibus, & impeditis, & hic est illuminatio: nam agens adest, & præsens est animæ: intellectus autem uere patiens actum secundum propriè comitatur, dum est in eo: atque sic nec substantia est, nec post mortem manet. Propterea Theophrastus, optimè seiunxerunt materialem (ut uocant) intellectum à patiente, cum materialis cõcomitetur agentem, patiens simulachra. Est autem

Cap. 5. & 20.

apud Auerroem, tertio de Anima, patiens intellectus ipsa imaginatio, tum ratio, quam cogitationem uocat: materialis autem, qui recipere omnes formas potest, is cum recipit actum, speculatiuus efficitur: sed agens est, qui potentia intellecta actu intellecta facit, hic prior est patiente: nam intelligere solum ad passionem refert. Sequenti autem argumento abundè satisfactum puto: nam numero differunt, & formæ perfectione, non forma. Quod autem nec irascamur, nec uoluptatem, quæ corporis est affecta, post mortem capiamus, illud sanè nobis nihil detrahit, sed potius utile est liberari ab his cupiditatibus

bus, ab his tyrannis, neque enim diuinorum aliquod hæc habet, & tamē ea solū sunt beatissima: quinimo & Aristoteles in primo magnorum moralium, Cap. 4.  
 Cæterum (inquit) benè uiuere, & benè agere, nihil aliud dicimus, quàm felicem esse: ergò & feliciter agere, & felicitas in benè uiuendo est: uerū benè uiuere est in uiuendo ex uirtutibus, hoc igitur finis est, & felicitas, & optimum. Et hæc quidem ille de nobis, dum in corpore sumus, existimat: quid igitur liberis iam existentibus continget? Verū nō absurdum est desiderare à morte uoluptatem, quàm si quis scabiem ob delectationem in scalpendo desideret: uel, si uelit esse puer, ut puerilibus illis ludis possit oblectari, & astragalis fallere. Homo autem sine mente imperfectus est: & potius mens totus, quàm sine illa homo, non igitur iam perfecto aduenit. Sed uis unum ab altero seiungere: mentem intelligendo confirma, inde partem aliquam corporis uellica, qui intelligit tu es, pars ea quæ dolet, pars est quæ ante mentem inerat: manifestum est autem, modò supersit quod intelligit, nihil ad rem pertinere, uel ad hominem quod sentit: contristat autem dolor, quia anima corpori, & mens animæ iungitur: cum autem separata fuerint, nulla pars tui est corpus. Ergo quod utile est totum separatur in morte, dico, sentiendi uis exterior, & interior: nam omnia hæc ut à mente prodierunt in animam, sic in mente denuò colliguntur, nec sunt tamen mentis facultates, quia non ex illa sola pendent, sicut nec Iris ex Solis radijs. Propterea etsi nunquā Iris fiat, Soli tamen nihil perit, quoniam à nube pender: sic  
 sensitiua



fenfitiua facultas in mente eft, fed non ut fenfitiua: fit autem fenfitiua cum in corpore eft. Ergo ut paucis colligam, totum quod perfectum eft, cum mente difcedit: quod imperfectum, ac cognitionis expers, cum corpore corrumpitur. Quid autem fit, quod perfectum eft, intelligere ex hoc licet, quod in hominibus folis eft, & non in belluis, nec fecundum speciem tale, nec fimile: hoc uero & fi non fimile fit prorfus diuinis: nam nec uniuersale quicquam eft in re, nec diuina ex fingularibus, aut ex fenfibus intelligendi originem ducunt: attamen à mortalibus differt, eftq; ipsis omnino aliquid præftantius. Nec uero intelligere aliud in nobis eft, aliud in diuinis, cum illud fit nihilominus longè præftantius, quàm noftrum hoc, fed in modo planè differunt: nam intellectus nofter à fimulachris fenfuum ducit originem: habet autem fe intellectus nofter ad cœleftes, uelut fenfus belluarum ad hominis fenfum: medullam enim rerum diuinus quifque intellectus intelligit, nofter corticem: medius eft, qui feparatus eft: longè tamen maius difcrimen eft inter noftram, & cœleftium mentem, quàm inter belluarum fenfum, ac noftrum. Igitur tripliciter hic nofter intellectus à cœlefti differt, modo, perfectione, & magnitudine: certus enim eft, nec hæfitat, aut hæret. Quemadmodum igitur qui fcit, quoniam omnis figura duabus rectis lineis, & circumferentiæ partibus æqualibus contenta, æqualis eft alicui fuperficiæ à duabus rectis, & parte circumferentiæ eufdem circuli contenta, quoniam in eodem circulo æquales lineæ æquas periferiæ partes refecant.

&amp; fi

& si æqualibus æqualia addas, auferas uel quæ sūt æqualia sunt, generaliter hoc nouit, & à prioribus causis: ille uerò qui eandem figuram sectori quoadque facit coæqualem: quoniam utraque portio fit ex diametro in dimidium circunferentiæ portionis, dempta proportionali linea ad residuum sagittæ, uelut dimetientis ad maiorem: & quod contingit hanc differentiam portionis dimidio alicuius partis periferiæ coæquari, is singulariter nouit: & à posteriori signo, & tamen scientia singularis eadem est in ipso singulari, sed coartata, & imperfecta. Duplex igitur sciētia, generalis, & propria: singularis & à posteriori, & quæ ex his postmodum cōponitur finis ratione imperfecta: talis igitur animi nostri, & mentis ad cœlestes intellectus comparatio: aut enim ut sensus ad intellectum, aut ut sensus belluarum ad humanos sensus, aut ut posterioris demōstrationis quæ aliquem neanisco sectori, is autem à centro est, ostendit posse esse coæqualem ad eam, quæ docet unicuique neanisco figurā conoidalem æqualem dare. Ad ultimam uerò rationem non arduum est respondere: nam nec memoria in mēte sita est, nec supplicij, aut gratia Philosophi mentem teneri putant, quòd quiddam diuinum sit, nec si omnino plectatur, aut gratiam recipiat, hoc superuacuum est: nanque & ad exteriores intellectus, & ad perfectionē primæ causæ hoc attinere posset: bonum etiam, ac malum, talia sunt natura, & si quis cuius causa ea recipiat, ignoret. Ergo ad Auerrois argumenta, quæ non in his, quibus iam responsum est, continentur, nunc iam trāsumus

camus. Obijcitur, ut uero simile scientiam migrare ex hoc in illum, omni ratione æqualitatis ac unitatis seruata, in sensibus autem non eodem modo: at si intelligis genus intelligēdis, & modum, uerum est: nam & nos substantiam intellectus unam in omnibus esse faremur, si eius perfectionem, experimentum contrarium esse declarat: nam non æquè perfectè, nec absolutè unus atq; alius etiam iisdem medijs nouit: quod tamen magis ex simulachrorum, quàm intellectuum differētia procedit. Quod uero humanū genus semper proficiat, falsum est, si Philosophi opinionem de æternitate mundi prosequamur: nam necesse esset nos longè plura scire, quàm sciamus, scientia etenim nostra est tenuis, uariaturq; pro æuis: nam ab Aristotele ad Cæsarem maior noticia linguarum, & mathematicarum habebatur, quàm post Stauerum imperatorē. Denuo uero iam abhinc centum ferme annis reuixere lingua, & philosophiæ Peripateticæ magna pars, mathematicæ adhuc torpent, præterquam quod Ioannes Monteregius Ephemeridum usum, rem memoria dignam, adinuenit: cætera potius ad ostentationem, & captandam gratiam principum, ac populorum, qui talibus fauēt, superaddita sunt: nam orbis totius cognitionem Auo Cæsaris, & Cæsari, ac fortunæ illorum, nō mathematicis debemus. Itaque hoc disciplinarum argumentū casu potius, quàm ratione fit, unde à pace, & dignitate principum originem ducit. Quid Platonem philosophari adhortatur? Dionysij iunioris liberalitas. Quid animalium historiam mortalibus dedit? Alexandri

dri magnificentia. Quis Archimede[m] dignum posteris reddidit? Syracusanus Hiero. Nunc ijs, qui tabellas, ac tabellulas, & labores menstruos in publicum edunt, fauēt principes: res æterni nominis immensiq[ue] laboris non agnoscunt. Optimi igitur deterioribus cedūt: quia ab ignaris, qui in unum aduersus eruditōs conspirarunt, principes persuadentur, uixq[ue] historicis ipsis locus relictus est: ten uideas cui principi opus nuncupatū sit, quod eius nomen in pronepotēs nostros possit perducere, & tamen liberales multi sunt principes, atque bonorū amatores. Facilius igitur peccatur incititia, quā prauitate. Itaque ut ingenia, ut pax, ut magno iudicio præditi principes effloruerint, sic literæ, & artes auferuntur, cōtrarijs horum decidunt. Antoninus euexit Alexandrum Aphrodiseum, & Galenum, duo lumina, alterum philosophiæ peripateticæ, alterū medicinæ. Plutarchum euexit Traianus: en uides, quod maximū iudicio maximos etiam adiuuerūt: Virgilium Augustus, Horatiū illi Mæcenās præripuit: illud sanē in Auerroë absurdissimum, quod scientiam eandem, eorundemq[ue] apud homines perpetuò manere putet: stultum uerò, quod homine scientiam omnium absolutam confecuto agens intellectus illi copuletur, ut tertio de Anima inquit, Cap. 36. nunquam enim hæc fiet copulatio. An Aristoteles ille fuit, qui omnia sciuit? cur igitur tam dubiè locutus est? an non hæc omnino somnia? neque omnes homines folius philosophiæ eam partē tenent, qualis est arenæ grānum littoris mediterranei maris: nec ante Archimede[m] quisquā partium sphæ-

[REDACTED]

S 2 RÆ



ræ proportionem agnouit, quòd esset ut uicissim  
coniunctarum reftarum quæ ad sectionem termi-  
nantur sub composita ratione partium dimetiētis.  
Ergo aniles hæ fabulæ, Alexandroꝝ, & Auerroë  
indignæ, ad quas falsis iactis fundamentis fugere  
coguntur. Quanquam uerò literæ unum quasi  
corpus efficiant, non tamen id ab intellectus unitate  
procedit, sed ab imitatione: quinimo potius con-  
trarium hoc argumentum opinionis suæ probat,  
cùm nulla de re, præterquam in mathematicis, om-  
nes eandem habeant sententiã. Igitur ut hoc non  
contrarietatis naturæ est argumentũ in animis no-  
stris, sic nec superstructio unitatis, tum præsertim  
quòd quæ ab alijs tradita sunt, uix qui succedit  
unus in eodem sensu interpretatur: hic uerò etiam  
si sit unus, nihil cum intelligentia cõmune habet su-  
periore, dico autẽ intellectum, quia non distingun-  
tur: declaratum est autem quot modis ab illo defi-  
ciat, uerũ ut distinctus est tanto imperfectior: nec  
tamen negamus, quin ad unum omnes colligẽtur,  
sed tamen quisq; seorsum est, ac manet: plures autẽ  
philosophos in unum cõsensisse, eosq; minimẽ con-  
temnendos fateor, si tamen Platonẽ & Theophras-  
tum excipias: ille enim plures posuit manifestẽ, hic  
non negauit esse, si solũ his quæ supersunt ex il-  
lius monumentis fides uerbis habenda sit: id uerò  
nec illum, nec Aristotelem somniasse putãdum est,  
tum maxime, cùm à Themistio, qui huic causæ fa-  
uebat, in medium non adducatur, quanquam reli-  
quis in rebus eum non prætereat. Quòd uerò men-  
tem singulari numero semper protulerit, cùm id  
etiam

etiã in ratione, ac memoria obseruet, tum in homi-  
ne, num ob hoc homines, & rationes, ac memorias  
plures non esse putabimus? Sed non reprehendit  
argutus homo. Anaxagoram hoc dicentem: sed  
nec Anaxagoras indiuisam illam affirmabat, imò  
ubique mixtam: quamobrem una sit hoc modo  
mens, seu plures, nihil refert, & sic iuuaret Ana-  
xagoram non reprehendisse: sed reprehendit ta-  
men in primo Physicorum, an non reprehensione T. cap. 39.  
dignus, qui dixerit, mentem perpetuò laborare, ut  
separèt, nec ad finem unquam perueniret: ergo mul-  
tis etiã alijs locis meritò coarguitur: liceat igitur  
omnia potius credere, quàm quòd illius opinionẽ  
Philosophus secutus sit. Ad Auerrois autem ratio-  
nem dicimus, formas secundas rerum in infinitum  
extendi posse, sed nulla ex necessitate.

*Digressio de animi immortalitate secun-  
dum naturaliter loquentes.*

**E**Rgo Philosophorum opinio Peripatetico-  
rum de Intellectu, quodq; præter lumen legis  
cõsentaneum est rationi paucis perstringatur. Ani-  
ma quidem quòd forma sit corporis omnis mor-  
talis est, quæ infra Lunam posita est: de hac quæsi-  
uit Philosophus, an possèt ut Plato inquit, esse per-  
ennis: respondet, si nullum opus habet à corpore  
omnino abiunctum, necesse est illam interire. De  
Intellectu autem hoc nõ dixit: quoniam animam,  
si debuit esse immortalis, oportuit neutro, uel sal-  
tem uno modo à corpore non dependere, ut quæ-  
iam esset corporis forma, Intellectum, qui separa-

cus erat natura non necessarium erat: hic igitur intellectus semper manet, atque id Philosophos sensitisse omnes, qui ratione aliquid dignum dixerunt, haud obscurum est, uno excepto Alexandro. At quorsum aut scribere, aut laborare, si nihil nostram iam superest: nobis certò existentibus cum dubium sit an hæc sciamus, imo etiam si non omnino quicquam ad nos de his perueniat, utile est optima, & digna gloria peregrisse: nunc uerò, ut uideo, quidam solum eam gloriam quærunt, atque etiam admodum auidè quæ uiuentes comitatur religionem præferentes: at si religiosè uiuendum est, potius gloria, quæ post mortem manet, admittenda erit, ut minus efficax, & magis laudabilis: indicio est Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Ambrosium illam omnino, quæ post mortem habetur, non contempsisse, quòd tam diligenter multa, totq; laboribus posteris legenda reliquerint, cum pompam omnem, & uitæ præsentis laudem refugerint: alius latitauit in ædicula, alius se abscondit in eremo: nunc uerò gloriam contemneres nec gloriam, nec religionis exemplum sequuntur: quid enim aliud mente sua testantur, quam animorum interitum, cum tam anxie præsentis honores, adeò neglectim in posterum superfuturam gloriam amplectantur: & nunc hic mos est, ut nomine quidem solo censeamur esse Christicolæ, re uerò ipsa Epicurei habeamur: nam & Epicurus tale quiddam docet, præsentibus fruendum solum, delitiosam agendo uitam, nihil in posterum cogitantibus: quanquam nec ipse tamen talis fuerit, ut qui multa con-

ta conscriberet: at malo certè, ac insulso instituto, non solum quod exemplo suo doctrinam propriam reprobaret: sed quod nihil etiam proficiat felicitas uitæ, si animus intereat, nedum gloria post mortem. Quid ergo laborandum, cur scribendum? & ob id quia nec labor malum est, ideoq; nec euitandum: Pyrrhonica hæc sunt deliramenta, aut solus sapiens Pyrrho, & tamen nihil sciens, si animus ipse mortalis est: ergo quid agendum? nullus finis, nullum initium rerum humanarum, imò nec uniuersi, animi immortalitate sublata. Ratio igitur ipsa, & in nobis diuinitas quædam mentis docet, illum esse mortis expertem. Non ego me ad spectra conuerto, cum naturalis ratio, & cuique de se ipso experimentum sufficiat. Quæret enim sedulus aliquis, ac curiosus, quis nam hortorum custodes inquietauit noctibus occiso Caligula, si cum corpore, unà extinctus est animus: Sed hi superstitioni sunt, non Philosophi. Neque uerò unum omnibus conueniebat esse, nec infinitos, sed numero certo constitutos, aut ex uno prodire innumerabiles existentes, & reuertentes: intelligentes uerò non ut hic, sed quasi ex uno principio omnes: uelut Solis radij diuersi cum sint, ab uno tamen Sole, & in uno lucent, & ipse in illis. Plato uerò etiã post mortem pœnas addidit, & uoluptatem: sed hoc pusillum est, & quasi uestigium habens tantum ueritatis apud Peripateticos: neque uerò nobis aduenit hic intellectus, nisi cum formatur homo, sensim enim (ut dictum est) eius operatio augetur, non ut uideatur semel incœpisse, aut perfecta ætate iam accessisse.



celssisse: nec est perpetua, ut materia, nō enim extrinsecus accederet: nec ut uis formatiua: nā & illa quomodo aeterna est, sed tamen in nobis est, quia substantia nulla est, sed uirtus: nec est quod cogatur aetate quasi dens, nihil enim horum conuenit ei, quod solum extrinsecus accedere dicitur, quare sedem habet aliò, quod accedit, uniuersam in uniuerso, singulae autem mētes propriae: nec uerò semper inesse hominibus possunt: nā semper certus, ac cōstitutus esset hominū numerus, quod per absurdum est. Longis uerò an paruis interuallis temporum absq; corpore maneāt, nondum est declaratū: est autem necessaria ad perfectam cognitionē horum, sciētia eorū quae in libris de Archanis aeternitatis sunt demonstrata: tum uerò reliqua dicere, facto, ac monitis nunc prohibemur, cum tamen nihil praeter religionis instituta sentiamus, sed tractatio tota Physica est. Existimādum est autem ut lucem quandā esse hāc mentē, & si reuertatur in corpora, nō ideo illi duo unus erūt magis, quā in unitate intellectus Auerrois, sed tamē ualde similes, & coaequales: uerūm nihil prohibet, maius, ac minus decīdi, ac quasi illas p̄misceri, sed tñ uerisimilius est immixtas esse: sed & hoc ad apparētia tuenda necessariū est, hāc uerò cum animae copulatur, materialē spargit intellectū, quasi lumē à luce, unde lucē Deū, ut homini se immiscuit, beatus Ioānes dixit, ut nō multum ab eo aberrant Peripatetici, quorum placita si uideas imaginem etiam resurrectionis uidebis, quāquam non sit propositū nunc hāc illis immiscere, sed solum docere, quā sunt consentanea,

quanq

quanquam prope ad religionem nostram illi solo adiuti lumine naturali accesserint. Esse uero operationem tantum ac manere, ut eam, quid absurdus, cum substantiam quidem illius manere potius Aristoteles primo de Anima censeat, operatione corrupta, non secus ac in Iride deficiente nube corrumpitur. Solis operatio illa, quae Irim facere poterat. Hoc igitur modo nil mirum est Paulum dixisse, Nos genus esse Dei, nam uel à Deo sumus, atque is est, in quo cogimur, uel ob nostram impuritatem secundum naturam uerisimilius est, nos in unam cogi mentem quae & in alia sit, atque eodem modo secundum ordinem tandem ad Deum per multa media referatur: haec uero unitas, & infinitum tollit, & numerorum discrimen: nam nos sciungimur, sicut reliqua, quae in unum nullo modo coeunt. Igitur quinque sunt capita in quibus Peripatetici omnes ferme concordant, & quae ratio ipsa nos docet, Mentem esse lucem quandam, & aeternam, & impatibilem, & ab uno principio proficiscentem in corpora nostra, & illorum numero distributam: ex quibus cogimur etiam confiteri, quod denuo eadem mens in alia corpora reuertatur. Est autem eius multiplex pars, Agens, qui totam substantiam continet: materialis lumen eius, patiens cum similitudine rerum recipit. Est autem lumen reflexum post modum illius in ratione, imaginatione, & reminiscencia. Porro mens uoluntate caret: est enim illa rationis non alicuius intellectus, ut uoluntas est quae eligit: aliam habet uoluntatem mens, quae illi propria est, ac naturalis, appetitque intelligendo perfici:

nam

nam nec materia prima adeò uilis hac tamen caret facultate: cùm autem separatur à corpore fit una mens in principio ut lux, sed lux diuerfas habet partes: hæc autem non habet neq; principium ipsum, sed est quasi hæc unitas media inter absolutã, & ueram unitatem, ac lucis: cùm in illa nihil desit, & in hac superabundet quantitas. Nec uerò dicendum est quomodo, cùm astra, quæ perpetuò subiiciuntur oculis, nesciamus quomodo moueantur, etsi ad unguem ferme uelocitatẽ, & experientiam loci illorum simus affecti. Ergo Philosophi ad rectum fidei nostræ tramitem proximè accessisse uidentur, neq; enim, nisi sicut qui prope, & acutè uidet, ab eo qui procul, & obtusè, ab illis differunt: qui enim procul abest, non alia uidet, sed nõ distinctè uidet, umbrasq; quasdam fingit, & in quibusdam dubitat. Vna igitur Philosophorum, ac religionis nostræ de anima ferme sententia est, differens solum uelut imperfectũ à perfecto: uelut puer à uiro: sic delineatio à pictura. Concordant in lucis exemplo, in originis diuinitate, in immortalitate, in cognitione beata, qua cuncta post mortem nouit, in resurrectionis genere quodam, nam reuiuiscere uidetur quodcunq; eandem animam ab obitu retinet: & quamuis non meminerint, intelligunt tamen: non patiuntur autem nisi meritò corporis annexi: hoc autem hæretici Fræticelli existimabãt: itaq; paruum hoc est, in quo à lege nostra dissidet. Est autem id tale, nam singularia agnoscit intellectus, & post mortem reminiscitur, & uerè resurgit homo, non in aliud corpus intellectu transeunte, & in

& initium habet, finem non habiturus, & patitur etiam nondū corpori adiunctus. Quis hæc omnia non uidet potius esse conditiones necessarias eius, qui arbitratur mundum non esse æternū, & mortuos posse resurgere, quàm illius, qui sponte à nobis discrepet: estq; potius hoc acutius uidere, quàm alia sentire. Est autem triplex differentia intellectus nostri, ac animæ quæ in belluis est: Prima, quoniam intellectus intrinsecus est homini, belluis extrinsecus collucet: unus etiã satisfacere omnibus, quæ in una specie sunt potest, hominibus plures sunt necessarii: tertia est, quod hominis anima tanquàm speculum est leuigata, splendida, solida, clara: belluarum autem tenebrosa, nec leuis: atq; ideo in nostra anima lux mentis refulget multipliciter confRACTA, inde ipse Intellectus intelligit. Ceteris autem potentijs, ut diximus, nullus limes prescriptus est: at belluarum internis facultatibus tantum licet agnoscere, quantum per exteriores sensus accesserit: ab obitu uerò mentis est unã tantum operatio, ac simplicissima: sed tamen his omnibus hic simul collectis melior, & honorabilior, qua omnia intelligit. Negant Philosophi tamen singularia mētem cognoscere, Theologi uolūt, sed beatis solū omnia licere: contra Philosophi omnibus omnia: non semper autem hic intelligit, quia agēs non est, nisi cum à materia liberatur, subtrahitur enim hoc quod à communi agēte proficiscitur, sicut lumen Solis semper lucet, & æqualiter lucet, est enim illius substantia semper æqualis, in nebula non lucet: sic intellectus in seipso semper est in actu, & semper intelligit

lung

git



git, sed in homine non intelligit, nisi cum adiuuatur à simulachris, hæc autem fiunt cum nebula illa aliquo modo loco cedit; ob id nec ebrii, nec dormientes, nec cibo pleni facile intelligimus, & qui obeso sunt corpore minus intelligunt; contra in aliquibus adeò clara est mēs, & corpus sincerū, ut etiam per somnum ratione utantur, imaginentur, reminiscantur, intelligant deniq;. Quare clara est differentia, cur nam in somno non intelligamus, post mortem autem intelligamus, cum ad utrunq; perueniamus nihil sentientes, aut intelligentes: nam in somno uincitur, in morte liberatur mens: sed si somnus morti simillimus euadat, & aliquo modo uinculis soluatur animus multa uidet, ut etiā per uigiliam, & quādoq; melius: igitur accessus ille ad mortem, cum similis sit ei, qui ad somnum, nō declarat mentem euanuisse, sed septam tenebris, ac uinculis fore. Sic igitur animi natura Philosophis innotuit, sensim initio, ut diximus, factō à Trimegisto, inde per Pythagoram, Anaxagorā, Pherecidem, Alcmaonem, Socratem, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Plotinū, Iamblicum, Synesium, Michaëlem Ephesium, Themistium, Amonium, Simplicium, Ioannem Grammaticum, Auicenam, Auerroem, Albertum, & Thomam, adeò res hæc proximè ad ueritatē accessit, ut in naturali lumine iam nil amplius desiderare possimus, cum ad scopum ferme peruenerint. Exemplum autem diuersitatis animorum si habere uis, nō melius, quàm ex operatione ipsa percipies animi: nam cum calorem intelligit, & frigus, contraria quidem intelligit: aut cum ni-

gredi

gredinem & candorem, & candoris imago ferme nigredinis imagini est contraria, cum tamen quælibet intellectui eadem sit: sic & mens menti penè contraria est, cum tamen unum sint in communi intellectu: nec quis dicat lucis speciem eandem esse cum tenebræ specie, nec tamen ulla materia differunt, at specie differunt, & si sic differre specie est, minus est, quàm solo numero differre: hoc autem quid animos impediret? cum quæ duo numero sunt, uni nunquam eodem numero esse possint, at idola hæc in intellectu eadem cum illo sunt: ut igitur Sol ipse nō potest parietem, nisi exterius, illuminare, aquam autem intrinsecus ingreditur, & illustrat: sic mēs belluarum animam, nisi exterius, illuminare non potest, at cum in peruiam, ac specularem humani animi substantiam ingreditur, sapientiam, intellectum, scientias, artes, prudentiam, industriam, uirtutes, sales, lepores, uersutias, innumeraq; alia, quorum omne belluarum genus expers est, homini impartitur. Porro uarietatem substantiæ nihil impedit diuinitas, nam & in cœlestibus rara, densa, obscura, nubilosa, lucida, illuminata, æqualia, inæqualiaq; apparent: eadem igitur & in mentibus diuersitas est, sed maior etiam, cum ad hominum animas comparantur. Forsitan autem quis puras animas principio suo, indiuiduas in posterum fieri credat, nam certum est, quæ illi hærent beatissimas esse: alij existimarunt tenuiuscula corpora hos intellectus secum habere, sed id minime Philosophus affirmat: sinceri igitur sunt, & omnino corporeæ qualitatis, corruptioni obnoxia, expertes

res: qui autem corpori immerguntur, non afficiuntur: deterior tamen est longissima uita quæ cum scelere coniuncta est, sed neque felix optima est, si careat contemplatione: uerum reliquis tamen, maxime ijs, qui pecuniariæ rei totos dies incumbunt, infelicissima: si enim cogitent, Cui nam tantos hos labores paro? quam breui gauisurus sum partis: quanta pro his miseris opibus flagitia patraui? quam cito nomen meum è uiuentibus excidet? quam intoleranda pro his sceleribus me manent: nam & omnes leges supplicia, & delicias statuunt: Idolorum cultores Tartara, & Elifios campos, quosdam etiam in coelo locabant: Iudæi inferna, ac paradifum, nã Saducei minima pars illorum erant, nec populus eis assentiebatur: qui Maumethem colunt, & ipsi baratrum ingens habent, ac contra, hortos amœnos, & uoluptates ingentes: Quid hoc nisi quædam scenographia ueræ miseræ, aut beatitatis, quam nostra religio, quam Philosophorum dogmata clarissime docent: sed uulgi iners incitas magis fugit, maxima pars procerum uoluptates sequitur, sic à nostrarum calamitatum ac miseriarum intelligentia soli amor, & infania, tanquam inebriata mente nos liberant, felicibus tantum his relictis, qui per uirtutem, ac sapientiam, qualis tu unus es Iacobe Philippe Sacce optime, diuinam & immortalem uitam futuram agnoscunt, & sperant.

*Argumentum pro supradictorum fundamento.*

**D**emonstrandum est autem fundamentum omnium supradictorum hoc modo, & consistat

stat hæc ratio in duabus propositionibus, quarum una est & minor, Quòd anima intellectiua est omnium formarū capax: & hoc declarat Philosophus tertio de Anima: nā ut intellectiua est omnium formarū materia carentium, ita sensitiua omnium sensibilibus & cum materia coniunctarum: igitur ipsa est capax omnis forme: nam forma omnis uel materiam habet iunctam, uel illa caret: & formæ materia carentes intellectui subiunguntur, quæ autem materiæ sunt coniunctæ sensui: item quæ sunt uniuersales ab intellectu recipiuntur, singulares autem à sensu. Omnis autem forma cum necessariò sit uel materiæ coniuncta, uel ab illa separata, singularis, uel uniuersalis, erit etiam sensus, uel intellectus obiectum: omnes igitur formæ sunt in anima, ideo dixit, quòd anima intellectiua est quodammodo omnia sensibilia per sensum, intelligibilia per intellectum. Secunda, & maior propositio est, Quòd omnis forma, quæ est potentiæ receptiua, uel productiua omnium formarum, est immateria lis, & incorruptibilis, ut patet de cœli uirtute respectu productionis, & materia prima respectu materialium formarum, & de diuino intellectu respectu omnium formarū simpliciter: hæc enim omnia apud Philosophos Peripatericos sunt incorruptibilia, ideo probatio hæc est inductiua, & Philosophus pleracq; sic demonstrat, ut quòd sensus uifus patiendo sentiat, quia alios sensus sentiendo pati sit manifestum, & quòd tactus habeat medium, indigeatq; illo, quia reliqui sensus, & quòd caro sit instrumentum tactus, quia omnes formæ in decer

minatis

minatis



minatis subiectis recipiuntur, & quod Stellæ lumen à Sole recipiant, quia Luna recipit. Et ad hoc adducitur ratio per cōtrarium, quia omnis forma ex materia ad unum genus determinatur, igitur quæ non determinatur, non est forma ex materia habens originem.

Ad hoc argumentum dantur plurimæ responsiones: Prima, quod inductio non probat: nam aut assumit illud, de quo probandum est, & ita præsupponit quod probari debet: aut non assumit, & sic nihil cōcludit. Aliter non daretur propositio utilis habens exceptiuam singularem tantum, at tales dantur, uelut, Nullum animal intelligit præter hominem: nullus lapis trahit ferrum, uel mouet ad partem cœli determinatam, præter herculeum: nullum astrum per se lucet, præter Solem: nulla intelligentia per se est, præter primam: si igitur arguatur, nec asinus, nec bos, nec lupus intelligit, & ita reliqua connumerando omnia præter hominem, igitur homo cum sit animal nō intelligit: manifestum est, argumentum non tenere.

Secunda responsio est, quod idem argumētum ostenderet imaginationem, & rationem, & memoriam esse incorruptibiles: nam utraq; propositio de his uerificatur. Et si dicatur, quod non, quia suscipiunt solum materiales formas: dicitur, qd hoc non prohibet, si inductio probat, nam in inductione assumitur, quod materia prima, quæ solum formas materiales suscipit, est incorruptibilis: ideo concluderet etiam de his facultatibus.

Tertia responsio constat in hoc, quod anima intellectiua

tellectiua non uerè ipsas formas suscipit, sed similitudinem. Probatnr hoc ex ratione, & Philosophi dicto: nam Philosophus dicit ibidem, Quare anima est ut manus, manus enim instrumentorum est instrumentum: sic & intellectus formarum est forma, & sensus sensibilium est forma. Itaq; Philosophus, ut ibi dicebat, non sentit rem in anima esse, sed intellectum esse formam formarum: quare potius erit intellectus, & anima ut speculū quoddam intellectus uniuersalium, sensus singularium, anima autem utrorumq;. Id etiam ratione demonstrari potest: nam si forma equi est subiectum hinnitus, erit & anima intellectiua: & si forma ignis à calido expoliari non potest, anima etiam talis erit, quod absurdissimum est. Si igitur anima talis est, secundum similitudinem tantum, maior autem propositio de ueris receptiuis, & causis intelligitur, manifestum est, quòd argumentum nihil concludit: aliter etiam forma speculi esset incorruptibilis, imò sensus communis clarè, quia si argumentum concludit, ut dictum est, sufficit, ut recipiat omnes formas materiales, hoc enim sufficit in materia prima: at sensus communis omnes formas materiales recipit, igitur & ipse erit corruptionis expers. Contra primam responsionem sufficiat mihi pro nunc autoritas Aristotelis: nam & in libro Posteriorum in initio, ubi maximè regulas demonstrandi obseruare nititur, hoc argumentandi genere utitur, quare illud probat, responsio igitur est dialectica. Ad instantes autem exemplorum contradictiones respondeo, hominem, ut dixi, à cæteris animalibus

t genere

genere differre: & ita dico de Sole, & astris cæteris, & de Deo, & alijs intelligentijs, & de hoc non est dubium: si autem inductio sumeretur, ut hic in genere etiam differentibus, ut Aristoteles solet facere, concluderet, quod nos hic facimus: nam Deus, cœlum, & materia prima genere etiam generalissimo differunt, quare demonstratio est manifesta. Est etiã ratio adducta negatiua, deducendo ad contradiccionem, quæ facit semper inductionem demonstratiuam. De lapide Herculeo dico, quod alia trahunt, ut electrum festucas, de alia uirtute, ubi antecedens esset uerũ, quod nulli alij lapidi similis uirtus conueniret, diceremus quod non specie, sed genere ab alijs differret, & ita credo: ut cunq; sit illa inductio, non potest firmari ex negatiua opposita, ut hic, nec constat ex propositionibus uniuersalibus, quibus communiore non sint, ut hæc, nec ex affirmatiuis, sed negatiuis, nec habet rationem, ut sit per se, ut hæc, ideo responsio est nulla in uia Aristotelis.

Contra secundam quæro, an de imaginatiua belluarum loquaris, an hominis: si secundum, uel accipis pro facultate, & tunc argumentum est nullum, quia facultas non necessario est æterna: uel pro subiecto, & sic confitemur, de facultate etiam potentiæ uerum esse, quod sit, & quomodo iam dictum est: si autem de belluarum imaginatione loquimur, falsa est propositio, quæ assumitur: nam belluarum imaginatio, ut dictum est, formas rãtum, quæ sub sensu fuerunt, comprehendit: & quod plus est, etiam tantum sub forma, qua in sensu fuerunt, atq; ideo non omnia nec imaginantur, quod totum est duplum

plum dimidio, cum in illa diuiditur, nec quod quadratum lineæ, quæ est diameter quadrati, sit duplum illi quadrato, cuius est dimetiens, ideo his duabus causis in illis propositio non uerificatur. Videmus autem, quod forma quælibet, ut aëris, uel aquæ, non est susceptiua nisi quorundam obiectorum, nam homo, uel lepus ex aqua, uel aëre constare non potest, & ita de alijs: sed quia propositio etiam extenditur ad ea, quæ solo nomine causæ dicuntur, licet diuersa ratione, uidetur difficultas de lumine syderum: nam hoc potentia producit omnes formas, & tamen est generabile, & corruptibile. Respondeo ad hoc, quod non per se hoc facere potest, sed alterius uirtute: nos autem loquimur de principali, nec constat, quod lumine omnia hæc agat, nedum quod eodem lumine, anima autem est principale: sed uidetur difficultas, quia sic patiens intellectus concluditur immortalis, & hoc iam nos negauimus: dico, quod (ut diximus) patiens recipit agentis uirtute, & habet rationem facultatis, non substantiæ: nos autem diximus prius, quod facultatem non est necesse esse perpetuam, sed substantiam, quæ est fundamentum facultatis, sicut est necesse cælum esse æternum, quia productiuum omnium formarum, non tamen hoc lumen, uel hunc motum, & si hæc sint susceptiua infinitarum formarum, quantum merito sui, nos autem agentem substantiam constituimus, materialem autem facultatem, at in uia Auerroës concludit argumentum immortalitatem, etiam materialis, quia ipse eum intellectum substantiam per se

c 2 ab



ab agente penitus separatam facit, & non facultatem tantum.

Sed in tertia responsione est longè maior difficultas: sed ut ad auctoritatem Philosophi ueniam, & ad Alexandri interpretationem, uideatur auctoritas concludere de uera forma: nam forma trigoni, ut trigonus habet exteriorem angulum duobus oppositis coequalem, est in anima tantum, & forma equi est in anima, quia intellectus intelligendo, est illa forma, & in eam uertitur, & cœlum non continet formas inferiorum, nec uerè, nec perfectè: non uerè, nam sic esset cœlum corruptibile, quia formæ hæ sunt tales: nec perfectè, quia ex limo posset homo generari, quod est falsum: in perfectis enim formis requiruntur materiæ propriæ, & tamen cœlum est incorruptibile: causa igitur quod corrumpi nequeat, est continentia omnium formarum cum indifferentia ad illas: nam quod indifferenter ad omnia se habet, à nullo patitur: igitur anima cum talis sit, est incorruptibilis. Alexander opponit præparationem, sed præparatio non est subjectum horum, sed anima: igitur præparatio cum sit sola ratio, non est incorruptibilis, sed anima ipsa: aut igitur anima nihil est, aut incorruptibilis est. Ad id de sensu communi, illud fuit forsitan quod impulit illos, uelut Proclum, ad credendum, Platonem omnia animalia, & sola perfecti generis, uelle animam habere immortalem: sed ueritas est, quod sensus communis recipit formas omnium sensibilium, sed tamen, ut solum comprehendit

hendit substantiam alicuius indiuidui, sed exteriora quedam tantum, cum maximè, quòd (ut diximus) nec medullam, sed solus hominis sensus, atq; ideo etiam illius fundamentum est incorruptibile, & est anima intellectiua, non ut intellectiua, sed, ut declaratum est, corpori communicata, atq; cõiuncta. Et si dicat Alexander, quòd intellectus est recipiens seipsum, hoc est omnino falsum: nam forma equi esset forma asini. ut igitur materia prima est aliquid præter formam, & priuationem, sic materialis intellectus existens solū potentia, antequam intelligat, & est unus in omnibus eo modo fermè quo materia prima: nam per partes diuiditur, & cum moritur homo coniungitur actui suo, retinēs omnes uirtutes, per quas potuit recipere formas, sensibilium, uel intelligibilium, licet remaneant uirtutes illæ maxima ex parte tantum secundum rationem principij, ut uirtus Iridis in Sole.

Ex quo facile intelligimus, quòd is, qui nuper scripsit de Anima, sumens historiam à corpore, & uiribus eius, ob nimiam ambitionem uoluit ut intelligeremus, illum credere, eam esse mortalem: nec minus deuius à Philosophis, quàm à Romana ecclesia.

*Solutio quorundam problematum in  
hac Philosophorum uia.*

**S**ED, ut omnibus plenè satisfaciamus, ostendamusq; quàm uerisimilis sit hæc opinio, & quàm propè ipsam accedat ueritatem, tum ut quæ dicta sunt, clarius elucescant, experimētorum quorundam

rūdam, quæ sensui subijciuntur, ratio à nobis reddenda est. Primò igitur quæri solet, cur iādiu mortuorum nec spectris mouemur, imagines uè uideamus, aut per somnium, quales nunc sunt Alexander, aut Cæsar, aut Aristoteles: an quoniam iam uniti sunt primæ menti, uel, ut huic opinioni magis est contentaneum, alia ingressæ corpora, illorum mētes sub ea specie nos turbare amplius non possunt: uidemus etenim profectò sic accidere, ut iādiu mortui spectrū nemo se uidisse referat, dudum autem plures, aut uigilantes, aut per somnia,

2 Cur uerò quidam mutuo se amant, alij se oderunt, etiam minima causæ quoniam parentum, & filiorum, aut fratrum corpora aliās inhabitant, aut inimicorum & hostium, uel à quibus pœnas, ac supplicia sumpsere: uerisimile est enim ualde hoc cum ab aliquibus uehementer irritati non irascamur, alios etiam gratuito oderimus: nam quæ mistio esse potest, si ex tam minimis homo cōstat, quæ hoc possit efficere? Porro remanet affectus ille naturalis, illa dissensio, seu consensus, etiam si memoria ex toto aboleatur, uelut olea, quæ myrtum diligit, uitem odit, teste Theophrasto: extingui autem eas facultates in morte diximus, quantum ad animæ rationem attinet, non in ipso principio iuxta Aristotelis sententiam.

3 Cur pueri in utero à matre desideratarum rerum uestigia in corpore contrahunt? Vidit hoc Libro 20. & Rhodiginus Cælius, quem nos audiuius, sed Cap. 15. causam non adiecit, hæc autem sic se habet: dum fœtus est in utero prægnantis imaginationi subijci  
tur

tur, indicio est tales concipi pueros, qualis fuerit imago parentum hora congressus, quod tamen nos non admittimus, quamuis Iacob historia de ouibus reluctetur: aliquid tamen facere imaginationem non negamus, uerum animula foetu contenta mouetur imagine animæ matris: indicio est, quod solis foetibus grandioribus hoc accidat, & quod illusionibus animæ mulierum, quæ absolutum infantem utero gerunt, uelut ut pueri ipsi eorum, quæ in urceis uidere se existimant haud dubiè patet: horum omnium causa una est, quoniam menti, & imaginatio imaginationi annexa est, propterea quoniam animus corpori in homine dominatur, & in foetu iam perfecto similitudo alimentii iam imaginatione matris uiolenta defertur cum ipso alimeto, ac spiritu in foetus corpus, effingitque rem similem ei, quam imaginatione conceperat, additque plerumque membris exterioribus: quoniam quæ format infantem uirtus, inutile existimat, ac extra ordinem membrorum intus illud retinere: ergo si propellere nequeat, abortitur infans. Quam ob causam, & cur non semper talia fiunt signa, manifestum est: & cur magno desiderio rerum foetus quandoque abortiantur, quandoque non, satis ex his patet, nam in tenui appetentia nihil horum efficitur, in ualida autem abortitur, aut uestigium manet, si iam foetus animum conceperit.

Cur homo solus rideat? quoniã solus admiratione habet, hoc enim mentis opus inquam est, ob hoc solus ridere potest: est enim risus cordis, que cum uoluptate admiramur, ob id repentina risum ciere solent



solent, quæ iam preuisa sunt non adeò, aut minus.

5 Cur belluarum etiam senectus maiorem præ se fert sapientiã, cum tamen mente omnino careãt?

Cap. 24. sic enim inquit Aristoteles sexto de Natura animalium, de mulis loquens, Vita mulis ad annos multos, iam quidam uel octogefimum annum potuit agere: ut Athenis cum templum ædificaretur, qui quamuis demissus munere per senectam, cõmeans tamen, ac obiens, iumenta exhortabatur ad opus: quamobrem decretum est, à nemine eum arceri frumentorum aceruis. Inest ergo sapientiæ uestigium belluis: sed illud uel consuetudine faciebat, idq; nil mirum, uel consilio, hoc autem prodigiosum, atq; ex causa exteriori pendebat. In uniuersum igitur mens, quæ belluis exterius adest, adeò fortiter imprimere potest, ut uestigium in opere sapiëntiæ possit præferre, sapientiã nunquam: neq; enim aliud præter id munus consuetum obire nouerat. Porro Græcis innotum, noua semper, quasi è re sua id esse putarēt, in immensum extollere: gloriã, & diuinitatis opinionẽ, ex leuitate, & fabula etiã quærẽtes.

6 Sed cur ante clades, & cum ipsis, si ingentes fuerint, monstra, prodigiaq; apparent, quale illud (neque enim maius autoritate, uel testimonio hominis proferre possum) Cæsaris, uerba eius subiungere libet, ea autem sunt: Eodemq; die Antiochiæ in Syria bis tantus exercitus clamor & signorum sonus exauditus est, ut in muris armata ciuitas discurreret: hoc idem Ptolemaide accidit. Hæc ille. Quæ neque conficta esse poterant, teste tota una urbe, imò duabus, nec Cæsari deercalum

calumniator, etiam usque ad contumeliam, nec quicquam fuit dignum, ut pro his mētiretur, qualia ea sunt, quæ accidisse iuxta Rubiconem referuntur. Ergo signa ante clades quædam à causis iisdem fiunt, à quibus & clades, ut monstra, ignes in cœlo, fulminaç. Alia uerò ab agente intellectu, qui mentibus multorum præfagia magnorū malorum iniicit, sic ut animam moueant multorum imaginatione commota: nam non omnes audiūt, mentes etiam illas dum separantur, ut infra ostendemus, affines sibi commouent: unde in cladibus multæ à multis euocantur, sed mens illa communis, ac sempiterna, maiorem causam præbet, quoniam & ante cladem hoc accidit. Cur uerò magis Antiochiæ, quàm Romæ? ex sequenti ratione declarabitur.

Cur prophetæ dentur, & qui de futuris aperte uerissîma doceant? qualis admirabilis fuit Esaias. Mens ipsa, cū nullo modo corpori immiscetur, belluas facit: cū mediocriter, homines: cū autē copiosus effunditur spiritus, non repugnāte ui corporea, propheta euadit. Propterea nemo eruditus Propheta est, quoniam mens illa pura doctrina nō indiget: nec in omnibus regionibus Prophetae apparent: nam iuxta polos impossibile est ut nascantur, corpus enim eorum, qui illic habitant, densum est, ideoç repugnat tantæ mentis sinceritati: ac uerò imbelles, & tenue corpus factum esse homini ob excellentiam animæ, declarat Plato in Timeo, dicens: Potuerat Deus tamen solidum hominis corpus concinnare, ut nocumēto forinsecus occurrant.

ti minus foret obnoxium, sed mollius efficere præ-  
oprauit, quo esset contemplationi paratius. Ergo in  
Palæstina tantum floruerunt Prophetæ: ea enim regio  
perquam temperata est, atque omnium cœli regio  
num amœnissima. Hi uerò tales nec timidi sunt,  
nec iracundi: affectus enim hi necessario corporis  
ualidioris sunt: unde & iracundos natura longius  
æuum protrahere uidemus. Sed & hi in cibo mo-  
derati sunt, nanque plenior uictus corpus obesum  
reddit: plures autem illorum propter id etiã in de-  
sertis locis inhabitauerunt, ob id etiam expertes sunt  
ueneris, ea enim corpus & mentem concutit. Decla-  
ratum est autem tales ab omni mentis concussione  
uacare oportere: progenitores uerò non impios il-  
lorum esse necesse est: talibus enim humores prauis  
insunt, unde tam sincæri uasculi generatio impedi-  
tur: mentem autem illam, quæ sic mouet, palam est  
ex uniuersalium cognitione, non singularium proce-  
dere, quibus postmodum simul iunctis, efficitur sin-  
gularis cuiusdam notitia, cui hæc omnia insunt: un-  
de accidit, ut non, nisi post euentum, oraculum illo-  
rum intelligatur, tunc uerò ad uiguem omnia ex-  
pleta cernere fas est. Velut enim in somnijs dictum  
iam est ex Auerrois sententia generales apparent  
futurorum conditiones, quibus ad singularium con-  
iecturam peruenimus, sic uigilijs in prophetis:  
fortius enim mentem mens communis mouet, quam  
per somnum cœlum imaginationem, præsertim  
cum corpus, ut dixi, paratum habeat: plurimos au-  
tem, imò populos ab his moueri necessarium est,  
quia mens communis multorum commouet men-  
tem

rem, ob id assentiuntur plebei maximè homines: necesse est enim ut pars toti, & productum producti pareat, ut lumen Soli, aut lux ipsa. Propterea nec cur illis pareant satis nouerunt, sed naturali impetu ad hoc mouentur. Ergo tantum à bellua homo, quantum ab homine Propheta distat: hic autè quasi medius est inter separatam mentem, & hominem: mens separata uniuersalis mentis & Prophetæ rursus medium est, media etiam mens illa communis inter ultimã cœlestium intelligentiã, & singularẽ. Auicēna uerò decimo suæ primæ Philosophiæ arbitratur, quòd talis uis habeat uirtutè admirabiles res agendi, ut ob hoc à populo consensus omnium aliquid maius cæteris hominibus obtinere credatur: ostēdunt autem dicta Prophetarum in uniuersali mentem illam nostrum originem singularia sub generali modo intelligere, atque hoc idē animus noster habet, postquã fuerit separatus.

Cur multis contingat, ut mortem amicorum, aut affinium absentium sentiant? Hoc ideo uenit, quia lux illa utrifque coniuncta est. Propterea non nisi in cōiunctissimis animis accidit, tum maximè in matre, ac filijs, & fratribus, si nobis ualde chari sint: atque ideo illis contingit, quod crystallo si Solis radijs exponatur, nanque dum amouetur crystallus, motum quendam efficere uidetur in radijs, etsi non faciat: hora igitur illa cum lucem corpus relinquit, si proxima ualde sensibilis fuerit, & corporeis uinculis explicata, sentiet mutationē illam, quæ cum leuissima sit, facilius per somnum percipitur: nam & reliqua leuia, ut etiam exigui dolores

in so



in somno grauisſima eſſe uidentur, quoniam uirtus animæ omnibus exterioribus explicita negotijs, totam ſentit alterationem: nō igitur omnibus, ſed multis hoc contingit, atque etiam ob hoc non niſi ipſo temporis momēto, quo obeunt: ſic autem commota mens ſimulachrum ex imaginatione ſuſcitatur uel uidentis, aut audientis uocem, aut in ſomno etiam ſpeciem eius, qui moritur, uidere ſe exiſtiſſi mantis: ob id igitur in magnis cladibus ſic multos affici necelle eſt, unde concurſus & diuination. Cur autem hoc hīc magis, quā alibi cōtingat, in præcedenti dubitatione oſtenſum eſt. Palām etiam fit, non omnes eiufdem loci accolæ hoc præſentire: nō enim omnes mentem habēt à corpore ſic liberam, nec omnes propinquos: quare nō ex cælo hæ præſtigie fieri poſſunt, uereq; eſſe, nam omnes eas ſentirent: uidetur autem communis illa mens, ac nobis coniuncta, huic cauſæ non parum conferre. Ex his non obſcurum eſt,

- 9 Cur maximè per ſomnum diuinemus: nam (ut diximus) mens minus à corporis ſenſibilibus functionibus detinetur. Ergo ſi mens ualida fuerit, corpus autē inane, & languidum, animus optimè expolitus, ſenſus interiores puri, tunc maximè etiam ſimulachra ipſarū rerum intueri poteſt: nam mens quæ nos illuminat, aut ſingularia agnoſcit, quod
- Cap. 1. Auicēna fatetur decimo ſuæ primæ Philoſophiæ, aut omnibus uniuerſalibus cognitio hoc ipſum ſingulare agnoſcere, quanquam nequeat oſtendere, tamen poteſt. Ex quo etiam maximè apertum eſt,
- 10 Cur morituri magis diſceſſum ſuum præuideant

deant, quàm cæteri: nam tunc iam intellectus separari incipit à corpore, atq; à residuo animæ: ideoq; anima & corpus hanc sentiunt separationem, non ut aliquam rem, sed ut oculus tenebras, ac cæcitate, aut ut quercus robur, ad quod radices dirigit: ipsa etiam mens principio suo hæere incipit, ob idq; simulachra futurorū excitat: inde morientium animus diuini habitus, ut ex Cicerone retulimus, mādaturūq; legibus, ut supremæ uoluntates seruentur.

Qui nam sunt homines maximè diuini, aut prauis? Diuini qui ueritatem amant, assimilantur enim suo principio: nam mens ipsa omnem in se rerum ueritatē continet: quod & religiosè dictum, Christus enim ueritatē se dixit: est autem Veritas summa sapientia: nam falsa sciri non possunt. Alter gradus perfectiōnis est, ut eam agnoscas: nescire ergo, malum: odisse illam, flagitiosissimū, & diuinæ naturæ maximè contrarium.

Cur tantū musicis cōmouemur, ut ea nos animū immutare cōgant? Mens ad mensurā est numerorum, & anima, & corpus: ideo his proportionibus, quæ numeris omnes integris continentur, maximè commouemur. Qui uerò non cōmouentur, ab hac proportione multum abscedunt, unde tardiore ingenio sunt. In homine autē minima est terræ pars, si ad belluas comparetur, indicio sunt cadauera resoluta. Plato autem nos ob id commoueri putat musicis, quoniā animus ante ingressum similibus quibusdam uoluptatibus assueuerit. Verū nō uidentur infantes demulceri harmonia, sed simpliciter

simplici nutricum cantione, ut belluæ: Melius igitur dicere, animum oblectare ea, quæ ille intelligat; intelligit autem maximè discreta, & parua: in numeris autem infra decem omnis humanus concensus constitutus est.

13 Cur heroës, ac maximi quidam homines? Quibus plus de luce, seu perfectiore contigit in corporis temperamento optimo, his ingenium à natura est, corpusq; firmum, non solum ob temperamentum, sed quod animus ualidus, ut nauta fortis nauim, corpus optimè gubernat, & cõtinet, ut inquit Plato. His igitur spõte ab hominibus, uelut ab apibus suis regibus, honor, atque obedientia exhibetur, tum uerò & qui cum his habitant. Fortunati tales fuere Hercules, Theseus, Romulus.

14 Cur senes aliqui adeò sapientes? nam Isocrates annos iam nonaginta superans Panathenaicū scribere se refert, in ipsius orationis initio, quam cõstat pulcherrimā esse: Socrates septuagenarius optimè philosophatur: M. Varro octogenarius libros de Re rustica scribere cœpit, ut ipse testis est. Causa horum est, optimè instituta uita: sic enim consuluit Aristoteles illi, qui senectam inculpatam ducere iu uenis cupiebat, scilicet ut assuetudini potius confideret: nam mens ualida manet, sed corpus debile redditur: at uerò inualidū eius opus efficitur sublati spiritibus, & calore. Quamobrè imagines falsæ ut in atra bile laborantibus apparent, quas consuetudine opprimas necesse est. Non solum igitur calidiores corpore tardius senescunt, sed & mentis opere. Argumento uerò est, mentem in senio repurgari

gari, nec solum esse immortalem, quod nisi corporis intemperies præter senectam aliqua accedat, fenes sint omnium sapientissimi.

Cur tãtus immortalitatis appetitus? Quoniam 15  
optimam cõditionem naturaliter desideramus: est autem mentis optima conditio, quoniã æterna est: atque ideo nemo fermè tam improbus uir, qui nõ optet immortalitatem: belluæ uerò cum hac parte meliore destitutæ sint, nullam eius curã gerunt: ratio uerò etsi in mortali animæ parte sit, quia tamẽ illuminatur ab immortalis, colligiturq; lumẽ illud, & uirtus ad suum principiũ, ideo desiderare potest.

Cur qui literis polent hac conditione in actioni 16  
bus minus ualere, ac quasi stupidi creduntur esse? Causa est, quod intellectus a uehementibus obiectis perficitur, sensus autẽ obtunditur: eadẽ igitur causa, quæ intellectum auget, uires animæ destruit. Sapientes ergo cum intellectum habeant perfectum, rationem plerunque hebetem habent. Nec tamen ignoro, quãtum ab ineruditis falsò huic sententiæ adijciatur, cum in proprijs exercitationibus hoc uerum minimè sit.

Quare quidam stulti, & expertes intelligentiæ? 17  
Vanum est credere, illis deesse mentem, cum illa à mente uniuersali, ac æterna procedat: nãque nec in minimo deformãdo articulo, nisi propter materiã peccat: nec uerò intellectus ille singularis cõtumax esse potest, cum & ipse expers materiæ sit: alterũ igitur duorũ abest, uel leuitas, ac soliditas animæ, qua & lumen recipit, & repercutit, atque sic mentis impotes perpetuò sunt: uel spiritũ puritas, unde ad  
tempus



tempus infania illa manet, ut in atra bile laborantibus. Idola igitur uel non creantur, si defit specularis illa leuitas, unde nec in pueris, sed his solum humor impedimento est, uel confusa, ut in atra bile, uel debilia & tarda, ut in extrema senectute.

18 Sed cur Dæmoniacy quidam esse uidentur? Accidit hoc diuisa luce, uelut in striatis subtiliter columnis, ac fractis speculis: nam in columnis lux diuisa, & in speculis plures repræsentat imagines, quæ cum diuersæ uideantur, accidit eis quod & oculo altero depresso: nã una res duæ esse uidentur: quoniam oculus eandem rem & altam & depressam simul esse non posse rectè dijudicat, ob id duo existimat, quæ unum sunt, nec plura, quia plures esse oculi nõ possunt: at in anima lux illa cum innumeras patiatur diuisiones, ob id mens multiplicata, & spiritus immundi etiam innumeri inesse creduntur, ut non negauerim fucum subesse multis, aliquibus etiã Dæmonem adesse, sed quod frequentius cõtingit, expono: ob id igitur exorcismis potius, quàm medicinis sanantur: nam anima fide (ut diximus) & imaginatione regitur, ac permutatur. Palàm enim est, plurimos ex eis uerbis, nõ sacris, sed prophanis liberari. Dum uerò sic mouentur, ex halitu fœdo caput tentatur, simile quid patientibus comitiali morbo, ob id in mulieribus frequentes, ob utri corruptiones.

19 Cur lamia infantes extenuent? partim spiritu fœdo pulmones uiciant, partim oculis, ut in speculis menstruarum apparet: partim imaginatione, de cuius uí, etiã in aliena corpora, aliquid diximus, ea enim

ea enim infantium corpora & tenera sunt, ideoq; iniuriæ parata, nec à mente ualida reguntur aduersus fascinationem.

Cur prophetæ mundo necessarij: Vt ea, quæ sapientes eruditione intelligunt, plebs fide, & simplici auditu agnoscat: ne uel cuiquàm quod rectum sit, ac pium, in obscuro sit, uel omnes ob sapiētiam adipiscendam, artes, & reliqua uitæ munia deferere cogantur.

Cur homo tantum polleat ingenio, ac memoria, tantumq; unus alteri præstet, ut recte dixerit Philosophus, doctum ab indocto, ut hominem à bellua differre: Quoniam in his, quæ ad infinitum terminum extenduntur, accessus etiam differentiae sunt infinitæ, ac sine magnitudinis termino differentia: tale autem est mentis sincerum opus, cui homines ut mente meliori præditi sunt, propius accedere conantur.

An quæ ex belluis & homine nascuntur, humanam animam, & mentem habeant, incertum est: nam Plutarchus in paralellis refert, Fuluiū quendam odio mulierum equam inijisse, progenuisseq; formosam puellam nomine Hippo, & ex asina Onoscelin Aristonem Ephesium: ego librū illum indignū Plutarchi grauitate, non ob hæc tantum, sed ob multiplicem falsam historiam credo. Cæterum mirum est nunquàm hoc accidisse, sed si accidat, ex foemina nunquàm nisi bellua enascetur, si masculus expers sit rationis: à uiro uerò & bellua euentum oporteret obseruare, uerum nec in his mentem inesse uerisimile sit.

v Sed

- 23 Sed quid de alijs statuendum erit mōstris, quæ ex uiro, & muliere nata sunt? Primum indicium ex ploratu sumendum erit: nam etſi aliqua animalia iam grandæua plorare uideantur, ut equus, & phasianus cū accipitrem ſibi imminētem cernit, nulla tamen bellua, ut nata eſt, plorat. Quod igitur monſtrum plorat, id & ridere ſua ætate aptum eſt, iſdeſt quadrageſimum iuxta diem, quare & ratione utitur. Maniſteſtum eſt igitur, non tam ſerò infantes ratione incipere uti, quando riſus ab admiratione exoritur.
- 24 Cur demōniaci uidentur aliqua, quæ antea ne ſciebant, cognoſcere? Facta diuifione, ſi non colluceant partes, demōniaci fiunt ſtupidi, & amentes: ſi uerò quaſi animus inſlectatur, ut de columna ſtriatã diximus, in cæteris ſunt prudētes, ob imaginum autem multitudinem demōniacos ſe eſſe putant. Ergo in tam multiplici imaginum apparētia illud idem accidit, quod in nebularū uarietate, & plumbi colliuatione, cū in aquam poſtmodum projicitur: nãq; figuræ diuerſæ, atq; admirabiles animalium, plantarum, hominum, inſtrumētorumq; emergunt, aliarumq; rerum, uifu quidem delectabilem, ſed incognitarū: unde cū motus & iam illis quaſi in circulo accedat, uarietates penè infinitæ exurgunt: ab hac igitur formarum multitudine, & mentis communis auxilio futurorū, & aliorum incognitorum accedit notitia: uerū ſi mens non coadiuet, ut plerunq; fit, multa dicunt, ſed falſa pleraq;: neceſſe eſt enim, ut in frequenti talorum iactu, etiam caſu diuinare. Eſſe autē hunc motum, & hanc

& hanc simulachrorum multitudinem, declarat in quietudo illorū, sermonisq; abrupta series, & sine sensu, ac ratione edita. Porro qui fractam habent illam animi specularē leuitatē, tum lumē, nunquam pristinae sanitati restituntur: qui autem inflexam, plenē sanantur. Conquiescunt autē motiones hae, cum motus spirituum sedatur: nam opinio quidem manet, sed affectus uexatio tollitur.

Cur cum uolumus, intelligimus? Hoc uerò supra declarauimus: illuminatio, & idola sunt nobis necessaria ad intelligendum: illuminatio deesse non potest: est in nobis, est causa aeterna & pura, est absq; materia, absq; contrarietate, ideo cum uolumus, intelligere possumus, non tamen quae uolumus, non subseruientibus simulachris.

Cur idem de eodem multi sentiunt, etiam si non inuicem conferant, quae conceperint, antequam iudicium ferant, multò uerò facilius adhæreant doctum opinioni, alij uerò falluntur ut in sensibus, cum tamen mens ipsa diuina sit. Quicumq; igitur sana habent instrumenta interiora, ut imaginationem, & memoriā ac rationem, idem de eodem necessario sentiunt, quoniam mens idem de iisdem semper iudicat: at si quid deficiat, aut corruptū sit, mens aberrare facit, non tamē ipsa aberrat: nam ex suppositis iudicium facit: ob id enim Solem magnum, & oblongum aliquando spectamus, aut pusillum, quia radius uitiatō medio occurrit.

Cur astra tam lucida, & mundus tam pulcher? An ut solis oculis uideatur animalium, aeternaq; res propter mortale constituta erit? an nullus immortalium



talium hanc uoluptatem capiet, sed quasi frustra erit: an cognitio intellectus uoluptatis sensus in hoc æquiparari poterit: Certè non, contradicente experimento. Quid igitur mens corpore soluta? Quicquid sensui, dum in corpore esset, impartita erat, rursus assumens, omnem quam cum corpore delectationem sensu capere poterat, nequid ei iucunditatis pereat, retinet.

Hæc igitur iuxta naturalium sententiam de animæ, ac mentis partibus dixisse sufficiat, altiores quaestiones prætermittere coactus, aut aliò trāsferre, nō obscuris admonitionibus: uerū hæc ipsa multi in contradictione nō intelligentes trahent: turpe uerò sit, si ab alijs nisi coacti nolumus à nobis ipsis discedere: quãobrem nec clarius, nec breuius scribere potui. Hæc autè etsi non ad pietatem perfectam accedunt, non tamè ab ea, quantum reliquæ Philosophorum opinioniones, discrepant: in fine uerò maximè conueniunt: nam cum lucem habeamus à Deo, atque potiorè nostram partem mentis, illius, nō corporis actionibus inuigilare decet, plus Deum nostrum autorem, qui nobis tam ingens donum dedit, amantes, quam nos ipsos, idest corpus, filios, diuitias, potestatem, honores: nam uerè nosmet diligere, est Deum diligere, si mentem nostram diligimus & qui Deum diligit, semet ipsum necessario diligit: lucem uerò nobis affinem, ut nosmet tamquam in dissolubili uinculo, & sempiterno æuo coniunctam, ab eodemque fonte splendoris, & bonitatis nobiscum proficiscentem, atque hoc uerè proximum diligere est, ac ut semet ipsum. Quare hic finis est beatitudinis nostræ in hac uita, diuinis frui, diuinisque coniungi, & post mortem perfectissima quiete gaudere.

## INDEX RERVM

INSIGNIVM HVIVS

OPERIS.

\*

<b>A</b> rgumenta contra animi immortalitatem. pa- gina	8.
Carmina contra Platonem.	pagina. 11.
Galenus de animi nostri mortalitate sententia, & ra- tiones.	pagina. 14.
De negligentia in custodia vite mortalium.	29.
Quatuor modi, in quos miracula referuntur.	30.
De rustico, qui milites decipiebat.	31.
An opinio de animi immortalitate conducatur ad insti- tutionem reipublice.	34.
An oculus uideat extra mittendo radios, 36. & 38.	
Oppugnatio Galeni.	38.
Platonis rationes pro animi immortalitate.	40.
Solutio earum rationum.	46.
Decem prohibentia hominem à flagitio sublata reli- gione.	48.
Opinio de animi immortalitate, per sequelam malo- rum multorum causa est, bona autem per se.	49.
Alexandri Aphrodisi de anima opinio.	49.
Perfectio humana, sublata animi immortalitate, quòd duplex sit.	55.

V 3 Sine

<i>Sine religione mortales uiuere non posse.</i>	57.
<i>Quenam uita Græcorum ante Athenas cõditas.</i>	56.
<i>Themisti, &amp; Simplicius, eandem Aristotelis, Platonis, &amp; Theophrasti sententiam de animorum immortalitate putant.</i>	56.
<i>Nomina diuersa anime partium quibus Philosophus utitur.</i>	60.
<i>Pythagora, Trimegisti, Pherecydis, Anaxagora, Democriti, Alcmeonis de animorum immortalitate sententia uetustissima.</i>	60.
<i>Ad quid utilis sit cognitio immortalitatis animi.</i>	63.
<i>B. Pauli ratio ualida pro animi immortalitate.</i>	64.
<i>Sensus per somnum non ex toto tolluntur, secundum Galenum.</i>	67.
<i>Galeni accusatio, &amp; temeritas.</i>	73.
<i>Platonem non tres animas, sed tres facultates possuisse.</i>	77.
<i>Trapezuntij insectatio in Platonem.</i>	78.
<i>Platonis de anima post obitum opinio.</i>	79.
<i>Aëri Armenij narratio ex Platone, Plutarchi, Diogenis, Pselli, Plethonis de Platonis opinione sententia.</i>	80.
<i>Epicteti sententia de anima.</i>	92.
<i>Plotini sententia de anima.</i>	92.
<i>Ciceronis Argumētum pro immortalitate animi.</i>	93.
<i>Epicharmi sententia pia de animorum immortalitate</i>	tate

<i>tate.</i>	93.
<i>Prima ratio ualida pro opinione Platonis.</i>	95.
<i>Angeli Cardani decrepiti historia.</i>	102.
<i>Cur morti proximi bene audiant.</i>	103.
<i>Autoritates Aristot. pro animi immortalitate.</i>	110.
<i>Testimonia Peripateticorum.</i>	140.
<i>Aristotelis rationes pro animi immortalitate.</i>	145.
<i>Intellectus &amp; sensus similitudo triplex.</i>	149.
<i>Sedes anime ubi sit.</i>	150.
<i>Intellectus à sensu decem differentie.</i>	153.
<i>Secunda ratio pro Platonis opinione.</i>	159.
<i>Cur memoria ceteris mentis partibus facilius uitetur.</i>	163.
<i>Quomodo homo omnes belluas sensibus uincat.</i>	164.
<i>Rationes alie diuersorum pro animi immortalitate.</i>	167.
<i>Ordo uniuersi, &amp; quomodo homo sit medius inter mortalia &amp; immortalia.</i>	170.
<i>Responsiones ad rationes plures pro animi immortalitate.</i>	181.
<i>Digressio quomodo fortis morti se exponere debeat.</i>	184.
<i>Opinio unitatis intellectus cum suis rationibus.</i>	188.
<i>Oppugnatio unitatis intellectus Auerrois.</i>	190.
<i>Hominem simul duo non posse sentire, uel intelligere.</i>	197.



<i>Octo rerum gradus.</i>	201.
<i>Triplex inter intellectum et rationē similitudo.</i>	202.
<i>De motu omnium rerum.</i>	203.
<i>Quonam pacto animarum una in alia sit.</i>	207.
<i>Animam non esse partem anime mundi.</i>	210.
<i>Fidei, Spei, &amp; Amoris uires, &amp; ratio præcantationum.</i>	211.
<i>Somni ratio, cause, ac modus.</i>	214.
<i>Laurentij Sannuti casus.</i>	212.
<i>Cur homo in somno non sentiat, &amp; tamen in somnia uideat.</i>	215.
<i>Cur in somno frequentius uideamus quàm audiamus.</i>	222.
<i>Cur in somno uisio nihil in uigilia simile habeat.</i>	222.
<i>De rerum omnium retrocessu, &amp; quomodo per somnum fiat.</i>	222.
<i>Cur facilius recentium, quàm eorum quæ iandiu memorie mandauimus, obliuiscimur.</i>	224.
<i>Cur scalpentes occipitium recordemur.</i>	224.
<i>Quomodo memoria nobis fiat de rebus.</i>	224.
<i>Cur unus homo altero perfectior.</i>	225.
<i>De bouis lingua quæ auulsa mouetur.</i>	225.
<i>Indiuisibile duplex.</i>	226.
<i>Cur hoc magis illo per somnium uidemus.</i>	226.
<i>Signa uerorum in somniorum.</i>	228.
<i>Cur, &amp; quomodo uera in somnia fiant.</i>	229.
	Oppug

<i>Oppugnatio opinionis Auerois de infomniorum ueritate.</i>	229.
<i>Quomodo anima in corde existens cerebro possit sentire.</i>	233.
<i>Aeterna patiuntur mutationem, sed non corruptiuam.</i>	234.
<i>Cur nulla planta actu calida.</i>	234.
<i>Cur omnes plantae uirides.</i>	235.
<i>Cur flores plantarum plerumque candidi.</i>	235.
<i>Cur plantarum cortices cinerei coloris.</i>	236.
<i>Aristoteles quomodo statuerit animi humanum immortale per regressum perpetuum in corpora.</i>	236.
<i>An intellectus post mortem agnoscat seipsum.</i>	238.
<i>Quomodo intellectus inter se differant.</i>	238.
<i>Intellectum agentem continere patientem rationem, imaginationem, memoriam, ipsumque omnia haec esse.</i>	239.
<i>Aristoteles uult, omnes intellectus in substantia unum esse, uel reuerti in corpora, uel ambo: sic tamen ut unum numero illos nunquam esse credas.</i>	241.
<i>Quatuor hominum genera, e quibus unum tantum perfectum.</i>	243.
<i>Rationes contra opinionem nostram, et solutiones.</i>	243.
<i>Ordo formarum.</i>	249.
<i>Solutio argumentorum contra animi immortalitatem.</i>	249.

<i>Timere mortem solius sensitivæ privilegium.</i>	252.
<i>Cur nosmet qui simus non agnoscamus.</i>	255.
<i>Quomodo animis pœna secundum Philosophos.</i>	255.
<i>Quomodo intelligentie intelligant.</i>	257.
<i>Quomodo punctus detur, &amp; moveri possit.</i>	259.
<i>Quomodo intellectus nobis adueniat.</i>	259.
<i>Auerrois opinionem parvam à nostra differre exemplo suo.</i>	260.
<i>Cur tractatio de anima difficillima omnium sit, causas tres.</i>	262.
<i>Interpretatio nominum apud Averroem.</i>	265.
<i>Animus in morte discedit cum omnibus facultatibus nobilibus.</i>	267.
<i>Copulationem intellectus agentis cum patiente ab Alexandro, &amp; Averroë positam, esse fabulosam.</i>	276.
<i>Scientias augeri, minuiq; pro temporum diversitate.</i>	276.
<i>Digressio de animi immortalitate.</i>	277.
<i>Argumentum secundum pro supradictorum fundamento.</i>	
<i>Quinq; in quibus Peripatetici omnes concordant de animi nostri natura, à quibus sextum.</i>	281.
<i>Fides &amp; Philosophia in quibus concordent, &amp; in quibus dissideant.</i>	282.
<i>Triplex differentia intellectus ad hominem &amp; beluas</i>	

<i>lūas.</i>	283.
<i>Differētia somni, &amp; mortis, quo ad opus animæ.</i>	284.
<i>Omnes leges præmia, &amp; pœnas animis à corpore solutis communi consensu statuunt.</i>	286.
<i>Cur iandiu mortuorum spectra nec uigilantes, nec somniantes uidemus.</i>	294.
<i>Cur quidam mutuò naturaliter se amant, alij oderrunt.</i>	294.
<i>Cur fœtus in utero desideratarū rerum uestigia contrahunt.</i>	294.
<i>Cur homo solus rideat.</i>	295.
<i>Cur belluæ etiam Senio sapientiores euadant.</i>	296.
<i>Historia de mulo octogenario.</i>	296.
<i>Cur clades prodigia ingentes præcedant.</i>	296.
<i>Cur dentur Prophetæ, &amp; quales sint.</i>	297.
<i>Cur multis contingat mortem absentium amicorum sentire.</i>	299.
<i>Cur per somnum maximè diuinemus.</i>	300.
<i>Cur morituri discessum suum præuideant plus quàm reliqua.</i>	300.
<i>Qui nam maximè diuini homines uel prauī.</i>	301.
<i>Cur tantum musicis mouemur.</i>	301.
<i>Cur, &amp; qui nam heroës, &amp; maximi homines.</i>	302.
<i>Cur senes aliqui aded sapientes Isocratis mirum.</i>	302.
<i>Cur tantus immortalitatis appetitus.</i>	303.
<i>Cur eruditi ad actiones minus à uulgo ualere creduntur</i>	

tur



tur.	303.
Quare quidam stulti, & intelligentia expertes.	303.
Cur demoniaci quidam esse uidentur.	304.
Cur lamie infantes perdant.	304.
Cur propheta mundo necessarij.	305.
Cur homo ingenio, & memoria multum polleat.	305.
An quæ ex homine, & bellua nascuntur mentem habeant, si quid nasci possit.	305.
An monstra mentem habeant, & quomodo dignoscantur.	305.
Cur demoniaci quæ non didicerint scire aliqua uideantur.	306.
Cur cum uolumus intelligimus.	307.
Cur idem de eodem multi sentiunt quamuis regionibus longinquis inuicem discreti.	307.
An mens separata uideat, sensibusq; quo ad cognoscendi uim prædita sit.	308.
Cur mente immortalis existente aberrare contingat.	308.
Finis hominis secundum Theologos & Philosophos unus, & qualis sit.	308.

F I N I S.



